JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

*Acquired with the Assistance of the*
ST. MARIANA DE PAREDES
FUND

ESA 118

Recevi del Dr. Dn Antonio Porcel dos p.s treinta, p.o 2 p.s por la compostura y tres vs. de papel que entro en dha compostura para que el Dr Barg.s pague lo que tengo recevi: a dho s.r di esta en Moscari a 2 del Marzo de 1782

Ylefonzo Rodrig.s y Tapia

Pe...

Petrus de Vargas, Valdez Menezes

Vargaz Valdez Menezez

Casimiro Larguid

Pertinet ad usum D. Casimiri de Rasguiдo, Valdez, de Meneses.

# OFFICIA
# SANCTORVM
IN BREVIARIO RO-
MANO EX MANDATO SVMMO-
rum Pontificum apponenda, tam de
præcepto, quam ad libitum
recitanda.

*ET ALIA QVÆ IN REGNIS
Hiſpaniarum, & alijs locis recitari poſſunt iux-
ta Rubricas Breuiarij Romani, ex Decre-
tis Sac. Rit. Congreg. Auctoritate
ſuperiorum nouiſ-
recognita.*

LIMÆ.
Apud Ioſephum de Contreras, Anno 16

NOS DOCT. D. DIDACVS DE SALAZAR huius Sanctæ Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicus Magiſtralis, in Regia Vniuerſitate Primarius Scripturæ Sacræ Interpres; Sanctæ Cruciatæ Commiſſarius Apoſtolicus Generalis Subdelegatus, necnon gratiarum cæterarum in hoc Peruano Regno Iudex item Apoſtolicus, & Regius priuatiuus circa Diuini Officij librorum taxam, & diſtributionem. Facultatem tenore præſentium facimus Ioſepho de Contreras Typographo, vt imprimere poſsit Officia noua Sanctorum, quorum vſum concedimus, dummodo codices ea continentes ſint reuiſi, & ſubſcripti manu propria R.A.P.M. Fr. Ildefonſi del Villar Regij Monaſterij Sancti Laurentij prope Eſcuriale Generalis Procuratoris. Dat. Limæ die 11. Martij, Anno 1687.

Doct. D. Didacus de Salazar.

*De mandato Domini Commiſſarij Generalis*

D. Franciſcus Martinez à Saavedra.

# OFFICIA PROPRIA SANCTORVM.

IANVARIVS XIV.

In feſto Sanctiſsimi Nominis IESV duplex.

*Ad Veſperas Antiphona.*

OMnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. *Pſalm.* Dixit Dominus. *Aña.* Sanctum & terribile nomen eius, initium ſapientiæ timor Domini. *Pſalm.* Confitebor. *Aña.* Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. *Pſalm.* Beatus vir. *Aña.* A ſolis ortu vſque ad occaſũ laudabile nomen Domini. *Pſalm.* Laudate pueri. *Aña:* Sacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo. *Pſalm.* Credidi.

*Capitulum. Philip. 2.*

FRatres: Chriſtus humiliavit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortẽ, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

*HYMNVS.*

IEſu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia:
Sed ſuper mel, & omnia,
Eius dulcis præſentia.
Nil canitur ſuavius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Ieſus Dei Filius.
Ieſu, ſpes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus,
Quã bonus te quærẽtibus
Sed Quid invenientibus?
Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere:
Expertus poteſt credere,
Quid ſit Ieſum diligere.
Sis Ieſu noſtrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit noſtra in te gloria,
Per cuncta ſemper ſæcula
Amen.

*Verſ.* Sit nomen Domini benedictum, Alleluia.
*Reſp.* Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum, Alleluia.

*Ad Magnificat. Aña.*

Fecit mihi magna qui potẽs eſt, & ſanctum nomen eius, Alleluia.

*Oratio.*

DEus, qui vnigenitum Filium tuum conſtituiſti humani generis Salvatorem, & Ieſum vocari iuſiſti:

iuſſiſti: concede propitius, vt cuius ſanctum nomen veneramur in terris, eius quoque aſpectu perfruamur in cælis. Per eundem Dominum.

*Poſtea fit cõmemoratio Oct. Epiphaniæ, & Sanct. Felicis Mart. Feſtum autem S. Hilarij transfertur in primam diem non impeditam. Ad Completorium, & per Horas diei in fine Hymnorum, dicitur.*

Ieſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

*Ad Matutinum. Invitatorium.*

Admirabile nomẽ Ieſu, quod eſt ſuper omne nomen. Venite adoremus. *Pſalm.* Venite

*HYMNVS.*

IEſu, Rex admirabilis,
Et Triumphator nobilis.
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Ieſu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentiũ
Excedẽs omne gaudium,
Et omne deſiderium.
Ieſum omnes agnoſcite,
Amorem eius poſcite,
Ieſum ardenter quærite.
Quærendo inardeſcite.
Te noſtra Ieſu vox ſonet,
Noſtri te mores exprimãt
Te corda noſtra diligant,
Et nunc, & in perpetuum,
Amen.

*In primo Nocturno. Añã.*

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. *Pſal.* Domine Dominus noſter.

*Cum reliquis conſuetis de B. Maria, vt in eius Officio parvo.*

*Añã.* In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. *Pſal.* Cæli enarrant. *Añã.* Cõfitemini Domino, & invocate nomen eius: mementote quoniam excelſum eſt nomen eius. *Pſalm.* Domini eſt terra. *Verſ.* Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo. *Reſp.* Multum eſt enim.

De Actibus Apoſtolorum.

*Lectio I. Cap. 3.*

PEtrus autem, & Ioannes aſcendebant in templũ ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum. Is cũ vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum

plum, rogabat vt eleemoſy-
nam acciperet. Intuens autē in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos. At ille intendebat in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum, & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula. Et apprehēſa manu eius dextera allevavit eum. Et protinus cōſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ. Et exiliens ſtetit, & ambulabat. Et intravit cū illis in templū ambulans, & exiliens & laudans Deum.

*Reſp.* Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomē eius Ieſum. * Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

*Verſ.* Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Ipſe enim.

*Lectio II.*

ET vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoſcebant autem illum, quod ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat ad Specioſam portā templi: & impleti ſunt ſtupore & extaſi, in eo, quod contigerat illi. Cum teneret autē Petrum & Ioannem, cucurrit ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupētes. Videns autem Petrus reſpondit ad populum. Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum glorificavit filium ſuum Ieſum: quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati: iudicante illo dimitti. Vos autem ſanctum, & iuſtū negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis, Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus. Et in fide nominis eius, hunc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmavit nomen eius & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.

*Reſp.* Benedictum eſt nomen tuum, Deus Patrum noſtrorum, qui cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. * Et in tempore tribulationis peccata dimittis.

*Verſ.* Et benedictum nomen maieſtatis tuæ in æternum, qui facis mirabilia ſolus. Et in tempore.

Le-

*Lectio III.* *Cap. 4.*

FActum eſt autem in craſtinum, vt congregarentur principes eorum, & ſeniores, & ſcribæ in Ieruſalem; & Annas princeps Sacerdotum, & Caiphas: & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali. Et ſtatuetes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos? Tunc repletus Spiritu ſancto, Petrus dixit ad eos: Principes populi, & ſeniores audite: Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſalvus factus eſt, notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quē Deus ſuſcitavit à mortuis: in hoc iſte adſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

*Reſp.* Laudabo nomen tuum aſsiduè. * Et quod laudabo illud in confeſsione.

*Verſ.* Lætabor, & exultabo in te: pſallam nomini tuo Altiſſime. Et collaudabo. Gloria Patri. Et collaudabo.

*In ſecundo Nocturno. Aña.* Memores erunt nominis tui Domine in omne generatione, & generationem. *Pſalm.* Eructavit. *Aña.* Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipſum. *Pſal.* Deus noſter. *Aña.* Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. *Pſal.* Fundamenta eius.

*Verſ.* Propter gloriam nominis tui Domine, libera nos.

*Reſp.* Et propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

*Lectio IV.*

NOn otioſe Spiritus ſanctus nomen ſponſi oleo comparat, cùm ita docet ſponſam ad ſponſum clamare: Oleum effuſum nomē tuum. Oleum enim lucet, paſcit, & vngit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorē: lux, cibus, medicina. Vide idē nūc & de ſponſi nomine. Lucet prædicatum: paſcit recogitatum, invocatum lenit, & vngit. Et percurramus ſingula. Vnde putas in toto orbe, tanta, & tā ſubita fidei lux, ni

ſi de prędicato nomine Ieſu? Nonne in huius nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, & in lumine iſto videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuiſtis aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in Domino?

*Reſp.* Sperent in te, qui noverunt nomen tuum. * Quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

*Verſ.* Exurge Domine, adiuva nos, & libera nos propter nomen tuum: Quoniam.

*Lectio V.*

HOc denique nomen coram regibus, & gentibus, & filijs Iſrael portare iuſſus eſt idem Apoſtolus, & portabat nomen tanquam lumen, & illuminabat patriã, & clamabat vbique: Nox pręceſsit, dies autem appropinquavit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſicut in die honeſtè ambulemus. Et monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum, annuntians in omni loco Ieſum, & hunc crucifixum. Quomodo lux iſta reſplenduit, ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri, tanquam fulgur egrediens, claudi vnius corporales plantas ſolidavit, & baſes; multoſque ſpiritualiter cæcos illuminavit? Nunquid non ignẽ ſparſit, cum ait: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula?

*Reſp.* Confiteamur nomini tuo magno. * Quoniam terribile, & ſanctum eſt.

*Verſ.* Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus. Quoniam.

*Lectio VI.*

NEc tantùm lux eſt nomẽ Ieſu, ſed eſt cibus. An nõ toties cõfortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus? Virtutes roborat? Vegetat mores bonos, atque honeſtos? Caſtas fovet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur: inſipidus eſt, ſi nõ hoc ſale conditur. Si ſcribas, ñ ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum. Si diſputes, aut confeiras, ñ ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus. Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor eius Ieſus, & inde ſaliat in os. Et ecce ad exortũ nominis lumen, nubilũ omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? Currit inſuper ad laqueũ mortis deſperan-

perando? Nonnè, ſi invocet nomen vitæ confeſtim reſpi rabit ad vitam?

*Reſp.* Lætentur omnes, qui ſperant in te Domine, in ęter num exultabunt, & habitabis in eis, & gloriabuntur in te omnes. * Qui diligunt nomen tuum.

*Verſ.* Domine, in lumine vul tus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabũt tota die. Qui diligunt. Gloria Patri, & Filio. Qui diligunt.

*In Tertio Nocturno. Añа.*

Cantate Domino, & benedicite nomine eius: annuntiate de die in diem ſalutare eius. *Pſal.* Cantate i. *Aña.* Secundùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terrę: iuſtitia plena eſt dextera tua. *Pſal* Dominus regnavit, exultet. *Aña.* Cantate Deo, pſalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſũ, Dominus nomen illi. *Pſalm.* Cantate ij. *Verſ.* Afferte Domino gloriam, & honorem.

*Reſp.* Afferte Domino gloriam nomini eius.

Lectio S. Evangelij ſecundum Lucam.

*Lectio VII. Cap. 2.*

IN illo tempore: Poſtquam cõſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

*Sermo 1. de Circumciſione.*

MAgnum & mirabile Sacramentum. Circumciditur puer, & vocatur Ieſus: Quid ſibi vult iſta connexio? Circumciſio nempe, magis ſalvandi, quàm Salvatoris eſſe videtur, & Salvatorem circumcidere potius decet, quàm circumcidi. Sed agnoſce mediatorem Dei & hominum, qui ab ipſo natiuitatis ſuæ exordio diuinis humana ſociat, ima ſummis. Naſcitur ex muliere, ſed cui fœcũditatis fructus ſic accedat, vt non decidat flos virginitatis. Pannis involuitur, ſed panni ipſi Angelicis laudibus honorantur. Abſconditur in præſepio, ſed proditur, radiante ſtella de cælo. Sic, & circumciſio veritatem ſuſceptæ probat humanitatis, & nomen quod eſt ſuper omne nomen gloriam indicat maieſtatis. Circumciditur tanquàm verus Abrahæ filius, Ieſus vocatur, tanquam filius Dei.

*Reſp.* Tribulationem, & dolorem inveni. * Et nomen Domini invocaui.

*Verſ.* Turris fortiſsima nomen Domini, in ipſo ſperaui, & adiutus ſum. Et nomen.

*Lectio VIII.*

NEque enim ad inſtar priorũ meus iſte Ieſus nomen vacuum, aut inane portat. Non eſt in eo magni nominis vmbra, ſed veritas. Cælitus ſiquidem inditũ nomen Euangeliſta teſtatur, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Et attẽde verbi profunditatem: poſtquam natus eſt Ieſus, Ieſus vocatur ab hominibus, qui vocatus eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Idem quippe & Angeli Salvator, & hominis, ſed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. Vocatum eſt, ait, nomẽ eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo. In ore ergo duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbũ, & ipſum quod in Propheta abbreuiatũ, manifeſtius in Euangelio legitur, caro factum.

*Reſp.* Expectabo nomẽ tuum Domine * Quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.

*Verſ.* Vt confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua. Quoniam. Gloria. Quoniam.

*Nota. Lectio de S. Felice Martyr, vt in Breuiario: & poſt Laudes fiat in illo commemoratio.*

*Si autem de Sancto non fiat, dicetur ſequens lectio.*

*Lectio IX.*

MErito ſanè dum circumciditur puer, qui natus eſt nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc iam cœperit operari ſalutem noſtram immaculatum illum pro nobis ſanguinem fundens. Neque enim iam quærere eſt Chriſtianis. cur voluerit Dominus Chriſtus circumcidi. Propter hoc ſiquidem circũciſus eſt, propter quod natus, propter quod paſſus. Nihil horum propter ſe, ſed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circũciſus, nec mortus eſt pro peccato ſuo: magis autem propter delicta noſtra. Quod vocatum eſt, inquit ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Vocatum plane, non impoſitum. Nempe hoc ei nomen eſt ab æterno. A natura propria habet, vt ſit Salvator: innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana vel Angelica creatura.

Te Deum laudamus.

*Ad Laudes, & per horas.*

*Añd.*

Oleum effuſum nomen tuũ, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. *Pſalmus.* Dominus

regnauit. *Cum reliquis. Ana.* Scitote, quia Dominus ipſe eſt Deus, cuius nomen in æternum. *Ana.* Sitiuit anima mea ad nomen Sanctum tuum Domine. *Ana.* Benedictum nomen gloriæ ſuæ, ſanctum, & laudabile, & ſuper exaltatum in ſæcula. *Ana.* Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudate nomẽ Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.

*Cap.* Fratres Chriſtus humiliavit &c.

*HYMNVS.*

Ieſu, decus Angelicum.
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.

Qui te guſtant, eſuriunt,
Qui bibunt, adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt,
Niſi Ieſum, quem diligunt.

O Ieſu mi dulciſsime,
Spes ſuſpirantis animæ,
Te quærunt piæ lacrymę,
Te clamor mẽtis intimę.

Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine,
Pulſa mentis caligine,
mundum reple dulcedine.

Ieſu flos Matris Virginis,
Amor noſtræ dulcedinis,
tibi laus, honor nominis,
Regnum beatitudinis.
Amen.

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

*Reſp.* Qui fecit Cælum, & terram.

*Ad Benedictus. Ana.*

Dedit ſe, vt liberaret populum, & acquireret ſibi nomẽ æternum. Alleluia.

*Oratio vt ſupra.*

*Poſtea fit commemor. S. Felicis mart. Ad primam in Reſp. breui dicitur.*

Qui natus eſt de Maria Virgine.

*Ad tertiã, Cap.* Fratres Chriſtus humiliavit.

*Reſp. Breu.* Sit nomen Domini benedictum, Alleluia, alleluia. Sit nomen.

*Verſ.* Ex hoc nunc, vſque in ſæculum. Alleluia. Allel. Gloria Patri. Sit nomẽ Domini.

*Verſ.* Afferte Domino gloriã, & honorem, Alleluia.

*Reſp.* Afferte Domino gloriã nomini eius, Alleluia.

*Ad Sext. Cap. Philip. 2.*

IN nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

*Reſp. Breu.* Afferte Domino gloriam, & honorem, Alleluia, alleluia. Afferte. *Verſ.* Afferte Domino gloriam nomini eius, Allel. Allel. Gloria. Afferte. *Verſ.* Magnificate

Domi-

Dominum mecum, Alleluia.

*Reſp.* Et exaltemus nomen eius in id ipſum, Alleluia.

*Ad Non. Cap. Coloſſ.* 3.

OMne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.

*Reſp. Breu.* Magnificate Dominum mecum, Alleluia, alleluia. Magnificate. *Verſ.* Et exaltemus nomen eius in id ipſum, Allel. Allel. Gloria, Magnificate. *Verſ.* Adiutoriũ noſtrum in nomine Domini, Alleluia. *Reſp.* Qui fecit cælum, & terram. Alleluia.

*In ij. Veſp. omnia dicuntur ſicut in primis.*

*Ad Magnificat, Ant.* Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorũ. Alleluia.

*Oratio vt ſupra. Deinde fit commem. S. Pauli primi eremitæ, & S. Mauri Abbatis.*

---

## DIE XIX. IANVARII.

In feſto ſancti Canuti Mart. Regis Daniæ, ſemid. ad libitum.

*Omnia de Commun. vnius Martyris, præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.*

*In ij. Veſp. Cathedræ S. Petri fit commem. S. Canuti, M. ante Com. SS. Mari, Marthæ, Audifacis, & Abacu mar. yr.*

Oratio.

DEus, qui ad illuſtrandam Eccleſiam tuam, beatũ Canutum Danorũ Regem martyrij palma & glorioſis miraculis decorare dignatus es; cõcede propitius; vt ſicut ipſe Dominicæ paſſionis imitator fuit, ita nos per eius veſtigia gradientes, ad gaudia ſempiterna peruenire mereamur. Per eundem Dominum.

*Lectionis primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

CAnutus Quartus Suenonis Eſthritij Danorum Regis filius, fide, pietate, & morum honeſtate conſpicuus, eximiæ ſanctitatis à teneris annis ſpecimen dedit. Paternum ſceptrum ſumma omnium acclamatione adeptus, Religioni promouedæ ſedulò incumbere, Eccleſias reditibus augere, & pretioſa ſuppellectili ornare cœpit. Tum zelo propagandæ fidei ſuccenſus, barbara regna iuſto certamine aggreſſus, deuictas, ſubditaſque

que nationes Chriſtianæ legi ſubiugavit. Victorijs autē plurimis glorioſus, & divitijs auctus, regale diadema ad Chriſti crucifixi pedes abiecit: ſe & regnum illi ſubijciens, qui Rex regum eſt, & Dominus dominantium. Corpus ſuum ieiunijs, cilicijs, & flagellis caſtigavit. In oratione & contemplatione aſsiduus, erga pauperes profuſus, erga omnes beneficus ſemper fuit: nec vnquam à iuſtitię divinæque legis ſemita deflexit.

*Reſp.* Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

*Verſ.* Deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis nō dereliquit eum. Et dedit illi.

*Lectio V.*

HIs alijſque virtutibus imbutus, ad ſupremū perfectionis apicem ſanctus Rex properabat, Accidit autem vt Angliæ regnum à Vvilhelmo Normannorum Duce formabili exercitu invaderetur. Anglis verò, Danorum opem implorantibus cum ſuccurrere Rex decreviſſet, belli expeditionem Olao fratri commiſit. Qui regnandi cupiditate illectus armavertit in Regis pernitiē, militibus & populo contra illum concitatis. Nec defuerunt rebellioni fomenta: cùm enim Rex editis legibus decimas Eccleſijs ſolvi, Dei & Eccleſiæ præcepta ſervari, tranſgreſſores puniri ſanxiſſet; plerīq perverſi ac ſcelerati homines exacerbati, primū quidē tumultuari, tū plebem commovere, ac tandem ſanctiſsimo Regi necem moliri cœperunt.

*Reſp.* Deſiderium animę eius tribuiſti ei Domine: * & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.

*Verſ.* Quoniam præveniſti eū in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo. Et voluntate.

*Lectio VI.*

SCiens igitur Rex, futurorum præſcius, mortem ſibi propter iuſtitiam imminere; ea prænūtiata, ad Eccleſiam ſancti Albani martyris Othoniæ, tamquam ad locum certaminis, profectus eſt; & Sacramentis munitus, agonem ſuum Domino commendabat. Mox ibi adveniēs coniuratorum multitudo. Eccleſiæ ignem admovere, fores confringere, & in eam irrūpere tētarunt. Quod cùm perſi-

perficere non poſſent, ad feneſtras accedentes, ſaxa & ſagittas in ſanctum Regem, flexis genibus pro inimicis orātem, magno impetu iaculari non ceſſarunt; donec lapidū & telorū ictibus, ac tandem lancea confoſſus, glorioſo martyrio, ante altare extenſis brachijs procumbens, coronatus eſt, ſedente in Apoſtolico throno Gregorio Septimo. Multis poſteà miraculis Martyrem ſuum illuſtravit Deus: nam gravi penuria & diuerſis calamitatibus oppreſſa Dania, patrati ſacrilegij pœnas luit. Plures etiam varijs langoribus afflicti, ad eius tumulum remedium & incolumitatem conſecuti ſunt. Cūque Regina ſacrum eius corpus noctu clàm ſurripere, & aliò transferre conaretur; emiſſo cælitus ingenti ſplendore perterrita, à propoſito ceſſavit.

*Reſp.* Stola iucunditatis induit eum Dominus: ⁎ Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius.

*Verſ.* Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euang.* Si quis vult poſt me venire, *de Communi vnius Martyris.*

*Nona Lectio & commemor. in Laud. SS. Marij, Marthæ, &c. M.*

*Miſſa* In virtute tua Dñe. *de Communi vnius Martyris nō Pontif. Oratio.* Deus, qui ad illuſtrandam Eccleſiam tuā. *Vt ſup. Euang.* Si quis vult poſt me venire, *de Communi vnius Martyris.*

---

## DIE XXIII. IANVARII.

In feſto ſancti Raymundi de Peñiafort Confeſ. Ordin. Prædicator. Semid.

*Omnia de Communi Confeſſ. non Pontif. præter ea, quæ hic habentur: & ad Hymn.* Iſte Cōfeſſor, *dicitur Verſ.* Hac die lætus meruit ſupremos Laudis honores.

*Oratio.*

DEus, qui B. Raymundū pœnitentiæ Sacramēti inſignem miniſtrū elegiſti, & per maris vndas mirabiliter traduxiſti: concede, vt eius interceſsione dignos pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ ſalutis portum peruenire valeamus. Per Dominum, &c.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

## IN II. NOCTVRNO.

*Lectio IV.*

BEatus Raymundus Barcinonenſis ex nobili familia de Peñafort, Chriſtianę Religionis rudimentis imbutus, adhuc parvulus eximia animi, & corporis indole magnum aliquid portendere viſus eſt. Nam adoleſcens humaniores litteras in Patria profeſſus, Bononiam ſe cōtulit, vbi, pietatis officijs, ac Pōtificio, Ciuilique iuri ſedulò incumbens, & Doctoris laurea inſignitus, ibidem Sacros Canones magna cum hominum admiratione eſt interpretatus Eius virtutum fama percrebreſcēte, Berengarius Barcinonenſis Epiſcopus, cū Roma ſuam ad Eccleſiam rediret, eum conueniendi cauſa Bononiam iter inſtituit, & tandem ſummis precibus, vt ſecum in Patriam reuerteretur, obtinuit. Mox eiuſdem Eccleſiæ Canonicatu, & Præpoſitura ornatus vniuerſo Clero, & Populo, integritate, modeſtia, doctrina, & morum ſuauitate præfulſit, ac Deiparæ Virginis, quam ſingulari pietatis affectu venerabatur, honorem, & cultum ſemper pro viribus auxit.

*Lectio V.*

ANnum circiter quintum ſupra quadrageſimum agens in Ordine Fratrum Prædicatorum, ſolemni emiſſa profeſsione, vt novus miles, in omni virtutum genere, ſed præcipuè in charitate erga egenos, & maximè Captiuos ab Infidelibus detentos ſe exercuit Vnde cum eius hortatu Sanctus Petrus Nolaſco (cuius ipſe confeſsiones audiebat) ſuas opes piſſimo huic operi conferret, tùm eidem, tum Beato Raymundo, & Iacobo Primo Aragoniæ Regi apparēs Beatiſsima Virgo, gratiſsimum ſibi, & vnigenito Filio ſuo fore dixit, ſi in ſuum honorem inſtitueretur Ordo Religioſorum, quibus Captiuos ex Infidelium tyrannide liberandi cura incumberet. Quare collatis inter ſe conſilijs. Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorū fundauerunt, cui Beatus Raymūdus certas viuendi leges præſcripſit ad eiuſdem Ordinis vocationem accommodatiſſimas; quarum approbationē aliquot poſt annos à Gregorio Nono impetrauit, & dictum Sanctum Petrum primū Generalem Ordinis Magiſtrum ſuis ipſe manibus habitu eodem indutū creauit.

*Lectio*

*Lectio VI.*

AB eodem Gregorio Romam accerſitus, & Capellani, ac Pœnitentiarij, & Confeſſarij ſui munere decoratus, eiuſdem iuſſu, Romanorum Pontificum decreta, in diuerſis Conſilijs, & Epiſtolis ſparſa, in vnum Decretalium volumen redegit. Archiepiſcopatum Tarraconenſem ab ipſo Pontifice ſibi oblatum conſtantiſsimè recuſauit: Et totius Ordinis Prædicatorum generale Magiſterium, quod bienniũ ſanctiſsimè adminiſtrauerat ſpõte dimiſit. Iacobo Aragoniæ Regi Sacræ Inquiſitionis Officij ſuis in Regnis inſtituendi auctor fuit. Multa patrauit miracula, inter quæ illud clariſsimum, quod ex Inſula Baleari Maiori Barcinonem reuerſurus, ſtrato ſuper aquas pallio, centum ſexaginta milliaria ſex horis confecerit, & ſuum Cœnobium ianuis clauſis fuerit ingreſſus. Tandem prope centenarius, virtutibus, & meritis cumulatus, obdormiuit in Dño anno ſalutis milleſimo quĩgẽteſimo ſeptuageſimo quinto, quem Clemens Octauus in Sanctorum numerum retulit.

*In tertio Nocturno Homil. in Euang.* Sint lumbi veſtri &c. *Vt in Commun. Conf. non Pont. Miſſ. de commun. Conf. nõ Pont.* Os iuſti. *Prim. orat. prop.* Deus qui Beatum Raymundum, *vt ſupra, reliqu. omnia vt in eod. Commun.*

---

## DIE XXVIII. IANVARII.

In feſto Sancti Iuliani Epiſc. & Conf. Dupl. 2. claſ. cum oct. in omnibus Hiſpaniæ Regnis.

*Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis, præter ea, quæ hic ſunt propria.*

*Si hoc feſtũ venerit in Dominica Septuageſimæ, vel Sexageſimæ, transfertur in diem tertiũ Februarij, cum nona Lectione, & commem. in Laud. S. Blaſij Epiſc. & martyris: & tunc in ſecundis Veſp. S. Iuliani fit commem. tantum Dominicæ ſequentis (quæ erit Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ) & in Officio Dominicæ fit comm. Diei Octauæ in Laudibus, & in ſecundis Veſperis.*

*Oratio.*

EXcita, quæſumus Domine, in populo tuo Spiritũ charitatis, quo beatum Iulianum Cõfeſſorem tuum, atque Pontificem replere dignatus es: & concede, vt cuius feſtiuitatem celebramus, per eius adiuti exemplum ram

dia-

diamur. Per Dominum noſtrum.

*In primo Nocturno Lectiones*: Fidelis ſermo, *de Communi Confeſſoris Pontificis.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

IVlianus, Eccleſię Conchenſis Epiſcopus, Burgis pijs, & honeſtis parentibus natus eſt. Eius ortum præclara illius ſanctitatis, & Epiſcopalis dignitatis ſigna diuinitus data nobilitarunt. Nam adeò formoſus, & pulcher in lucẽ editus eſt, vt omnes intuentes os eius, cælesti quodam fulgore perfuſum admirarentur. Multò magis verò cùm puer grandior palam ſuper fontem baptiſmalem tandiù viſus eſt Mitra, & Baculo Epiſcopalibus inſignibus ornatus, dũ adſtantes admonuit, vt infanti Iuliani nomen imponerent. Poſteà piè, ſanctèque educatus, liberalibuſque diſciplinis apprimè eruditus, Theologiæ operam dedit, in qua plurimùm profecit. Itaque probatæ vitæ exemplo, & diuini Verbi prædicatione toti Hiſpaniæ mirandum in modum profuit. Quare ab Alfonſo Nono Caſtellæ Rege Epiſcopale munus ſuſcipere coactus eſt, quod ſumma cum laude obiuit.

*Reſp.* Inueni Dauid ſervum meum, oleo ſancto meo vnxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

*Verſ.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

*Lectio V.*

VEre pater pauperum fuit: quippè qui egentium, viduarum, & pupillorum inopiam pecunia, & alijs pietatis officijs ſubleuauit. Reditus Eccleſiæ ſuæ tum ſubleuandis miſeris, tum inſtaurandis, ornandiſque templis inſumpſit, ipſe tenui victu contentus: quem labore manuũ ſuarum comparabat. In oratione aſsiduus erat: cuius vi, paterna charitate ardẽs, multa, & magna pro ſalute populi à Deo impetrauit. Quorũ illa in primis illuſtria. Cum aliquando tota Prouincia rei frumentariæ laboraret inopia, nec quidquam amplius in Epiſcopatus horreis ſupereſſet, populi calamitatem miſeratus, preces cum lacrymis ad Deum fudit. Tunc plurimum tritici ad ædes ſancti Epiſcopi à permultis iumentis comportatum eſt, quæ, depoſito onere, euanuerunt. Cũque item dira in populũ lues graſſaretur, ſancti Epiſcopi oratione ſedata eſt. Multos

quo-

quoque, varijs inſanabilium morborum generibus affectos, in ſanitatem reſtituit.

*Reſp.* Poſui adiutorium ſuper potentem, & exaltaui electũ de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

*Verſ.* Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Manus.

*Lectio VI.*

SVper gregem ſuum tamquam bonus & ſedulus paſtor diligentiſsimè vigilauit, lupos arcens ab ouibus, & oues paſcens verbo vitæ, cibum cuique tribuens pro captu cõgruentem. Corpus ſuũ ieiunijs aſsiduè caſtigans, ſe ipſum bonorum operum exẽplar in omnibus præbuit. Denique, cùm annos ferè octoginta maxima cùm ſanctitate vixiſſet, plenus dierum, atque virtutũ, in ſenectute bona migrauit ad Dominum quinto Kalendas Februarij, anno milleſimo ducenteſimo octauo, & honorificè in Eccleſia ſua ſepultus, poſt mortem quoque miraculorũ gloria clarus, magna populi veneratione colitur. Anno poſt modũ milleſimo quingenteſſimo decimo octauo, Leone Decimo Pontifice Maximo, corpus eius è ſacello, vbi multos iacuerat annos, effoſum, ad locum propè aram maximam magnificè exornatum, tertio Idus Aprilis ſolemni pompa, ac maxima celebritate translatũ eſt. Commemorationis eius quoque feſtiuitas Nonis Septembris ex Iulij Tertij Summi Pontificis conceſsione recolitur.

*Reſp.* Iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt & omnis terra doctrina eius repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. *Verſ.* Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cæleſtia regna. Ipſe intercedat. Gloria Patri. Ipſe.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecũdum Matthæum.

*Lectio VII.* *cap. 6.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furãtur. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chryſologi *Serm. viij. de ieiunio, & eleemoſyna circa medium.*

THeſaurus cæli eſt manus pauperis: quod ſuſcipit ne in terra pereat, reponit in cælum. Manus pauperis eſt gazophylatium Chriſti: quia quidquid pauper accipit,

 Chri-

Chriſtus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terram, vt accipias cælū: da nummum, vt accipias regnum: da pauperi, vt des tibi: quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus: Miſericordiam volo. Qui, quod vult Deus, Deo negat, à Deo ſibi, quòd deſiderat, vult negari. Homo, petit Deus, ſed tibi, non ſibi: humanam miſericordiam petit, vt largiatur diuinam. Eſt in cælis miſericordia, ad quam per terrenas miſericordias peruenitur.

*Reſp.* Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradiſi coronauit eum. *Verſ.* Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas.

*Lectio VIII.*

DIcturus cauſam in iudicio Dei, patronā tibi miſericordiam, per quam liberari poſsis, aſſume. Qui de patrocinio miſericordiæ certus eſt, de venia ſis ſecurus, de abſolutione non dubitet. Miſericordia non ſolùm cauſam præuenit, anticipat cognitorem; ſed etiam ſententiam reuocat, abſoluit addictos: Quod Niniuitæ probant, quos iam ſententiæ ſubiectos, pœna traditos, ad victimam ſtantes, morti deditos, miſericordia ſic rapuit, ſic tenuit, ſic præuenit, vt maluerit Deus deduci ſententiam, ne miſericordiæ quid negaret. Fratres, per miſericordias pauperum miſericordiam paremus, vt poſsimus eſſe de pœna liberi, de ſalute ſecuri, Beati, inquit, miſericordes, quia ipſi miſericordiā conſequentur. Gratis miſericordiam ſperat ibi, qui hic non fecerit miſericordiam.

*Reſp.* Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: * Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs. *Verſ.* Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et vos ſimiles. Gloria Patri. Et vos ſimiles.

*Nona Lectio de S. Agnete ſecundo vt in Breuiario Romano.*

*In diœceſi Cochenſi, & vbicumque fuerit Patronus, vel Titularis.*

*Lectio IX. Serm. 22.*

HOmo, tali monitu Chriſtus te ditare voluit, nō nudare: manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari ſacculos imperauit: iuſsit te transferre, non perdere. Plus conſilio pa-

rtis

tris agit, quàm iure dominā-tis. Inter inſidias latronū, & tinearum morſus, quare tua recondas, obiurgat: peruigiles noctes, dies anxios, ſolicita tempora, ne tibi ipſe facias, commoneris. Auri cuſtos, ſeruator argenti ſecuritatem non habet, neſcit quietem, & cui deeſt ſecuritas, quies perit, pœna diues eſt ille, non cenſu. Theſaurum non deficientem in cęlo, hoc eſt dicere, vbi ego ſum, ibi ponite: date mihi, ego ſeruo. Homo, da Patri, crede Deo: quia & heredi Pater, & Deus homini creditum non negabit: tenere tua non poteſt, quia ſua dedit. An humanis indiget, qui diuina largitur? An eſt noſtrorū cupidus, qui nos ſuorum fecit heredes? Te Deum laudamus.

*In Laudib. commem. S. Agnetis ſecundo: & in ſecundis Veſper. S. Franciſci Saleſij Epiſc. & Conf. Miſſa habetur propria.*

---

DIE XXIX. IANVARII.

In feſto Sancti Franciſci Saleſij Epiſc. & Confeſ. Semidupl.

*In Hymno ad Veſperas, & Matutinum dicatur:* Hac die lætus meruit ſupremos Laudis honores.

*Oratio,*

DEus, qui ad animarum ſalutem beatum Franciſcum Confeſſorem tuū, atque Pontificem, omnibus omnia factum eſſe voluiſti: concede propitius, vt charitatis tuæ dulcedine perfuſi: eius dirigentibus monitis, ac ſuffragantibus meritis: æterna gaudia conſequamur. Per Dominum.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

FRanciſcus in oppido Saleſio, vnde familiæ cognomen, pijs & nobilibus parentibus natus, à teneris annis futuræ ſanctitatis indicia præbuit, morum innocentia & grauitate. Adoleſcens liberalibus diſciplinis eruditus. mox Philoſophiæ ac Theologiæ Pariſijs operam dedit: & ne quid ſibi deeſſet ad animi culturam, Iuris vtriuſque lauream ſumma cum laude Patauij obtinuit. In ſacra æde Lauretana perpetuæ virginitatis votum, quo pridem Pariſijs ſe obſtrinxerat, innouauit: à cuius virtutis propoſito nullis vnquam dæmonū fraudibus, nullis ſenſuum illecebris potuit dimoueri.

*Reſp.* Inueni Dauid.

*Lectio V.*

RECuſata in Sabaudiæ Senatu ampliſsima dignitate, Clericali militiæ nomen dedit: tum Sacerdotio initiatus, & Genneuenſis Eccleſiæ præpoſituram adeptus, eius muneris partes adeò perfectè expleuit, vt eum Granerius Epiſcopus vindicandis ad hæreſi Caluiniana Caballicenſibus, aliiſque Genneuæ finitimis populis, Diuini verbi præconem deſtinarit. Quã expeditionem alacri animo ſuſcipiens, aſperrima quæque perpeſſus eſt, ſæpe ab hæreticis conquiſitus ad necem, variiſque calumniis, & inſidiis vexatus. Sed inter tot diſcrimina & agones, inſuperabilis eius conſtantia ſemper enituit, Deique ope protectus ſeptuaginta duo millia hæreticorum ad Catholicam Fidem reduxiſſe dicitur, inter quos multi nobilitate & doctrina inſignes numerantur.

*Reſp.* Poſui adiutorium.

*Lectio VI.*

MOrtuo Granerio, qui eũ ſibi coadiutorem decerni curauerat, Epiſcopus conſecratus, ſanctitatis ſuæ radios circumquaque diffudit, zelo Eccleſiaſticæ diſciplinæ, pacis ſtudio, miſericordia in pauperes, omnique virtute conſpicuus. Ad Diuini cultus augmentum nouum Ordinem Sanctimonialium inſtituit, à Viſitatione beatæ Virginis nuncupatum, ſub regula ſancti Auguſtini: cui addidit conſtitutiones ſapientia, diſcretione, & ſuauitate mirabiles. Suis itaque ſcriptis cæleſti doctrina refertis Eccleſiam illuſtrauit, quibus iter ad Chriſtianam perfectionem tutum & planum demonſtrat. Annum denique agens quinquageſimum quintum, dum è Gallia Anneſium regreditur, poſt Sacrum in die ſancti Ioannis Euangeliſtæ Lugduni celebratum, graui morbo correptus, ſequenti die migrauit in cælum, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo. Eius Corpus Anneſium delatum, in Eccleſia Monialium dicti Ordinis honorificè conditũ fuit, cœpitque ſtatim miraculis clareſcere. Quibus ritè probatis, ab Alexandro Septimo Pontifice Maximo in Sanctorum numerũ relatus eſt, aſsignata eius feſtiuitati die vigeſima nona Ianuarii.

*Reſp.* Iſte eſt, qui ante Deũ.

*In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Euangel.*

Homo peregrè proficiſcens, *Vt in communi Conf. Pontif.*

*Miſſa.* Statuit ei. *de eodem Communi, prima Oratio prop. vt ſupra.*

DIE XXX. IANVARII.

*Tertia die Infra oct. ſancti Iuliani, fit de ſanct. Martina V. & M. Semiduplex, vt in Breuiario Romano, cum commemoratio Octauæ.*

DIE XXXI. IANVARII.

In feſto Sancti Petri Nolaſci Confeſ. Dupl.

*In Hymno ad Veſperas & Matutinum dicatur:* Hac die lætus meruit ſupremos Laudis honores.

*Oratio.*

DEus, qui in tuæ charitatis exemplum, ad fideliũ redemptionem, ſanctũ Petrum Nolaſcum Eccleſiã tuã noua prole fecundare diuinitus docuiſti: ipſius nobis interceſione concede, à peccati ſeruitute ſolutis, in cæleſti patria perpetua libertate gaudere. Qui viuis & regnas.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

PEtrus Nolaſcus, Recaudi propè Carcaſonam in Gallia nobili genere natus ſingulari erga proximum charitate excelluit. Cuius virtutis præſagium fuit; quod cum adhuc incunabulis vagiret infans, examẽ apum ad eum conuolauit, & fauum mellis in eius dextera cõſtruxit. Adoleſcens parentibus orbatus, Albigenſium hæreſim, quæ tunc in Gallia graſſabatur, execrans, diuendito patrimonio, in Hiſpaniam ſeceſſit, & apud beatam Virginẽ Montis Serrati votum, quo pridem ſe obſtrinxerat, exoluit. Tum Barchinonam pergens, cũ Chriſti fidelibus ab hoſtium ſeruitute redimendis omnem pecuniam conſumpſiſſet, ſe ipſum pro ijs liberandis venum ire, aut in illorum vincula ſuffici cupere dictitabat.

*Reſp.* Honeſtum fecit illũ Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam. *Verſ.* Iuſtũ deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnũ Dei. Et dedit.

*Lectio V.*

QVam gratum Deo fuerit hoc ſancti viri deſiderium, ſubſequens declarauit euentus: nam noctu oranti, & de Chriſtianorum in captiuitate degẽtium ſubſidio multa animo voluenti beata Virgo apparens, Filio ſuo

ſuo ſibique acceptiſsimũ fore ſuggeſsit, ſi ad ſui honorẽ Religioſorum Ordo inſtitueretur; quibus præcipue eſſet cura captiuos ab infidelium tyrannide liberare. Huic cæleſti monito illicò obtemperans, vna cum ſancto Raymũdo de Peñiafort, & Iacobo Primo Rege Aragoniæ, de eadẽ re à Dei Genitrice ipſa nocte præmonitis, Religionem beatæ Mariæ de Mercede Redẽptionis Captiuorũ inſtituit: Sodalibus ſuis quarto voto obſtrictis, manendi in pign⁹ ſub Paganorum poteſtate, ſi pro Chriſtianorum liberatione opus fuerit.

*Reſp.* Amauit eum Dominus & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum.* Et ad portas paradiſi coronauit eum.
*Verſ.* Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum Et ad portas.

*Lectio VI.*

EDito virginitatis voto, illibatam perpetuò caſtitatem ſeruauit. Patientia, humilitate, abſtinentia, cæteriſque virtutibus mirabiliter enituit. Prophetiæ dono illuſtris, futura prædixit: inter quæ maximè celebratur, quod Iacobus Rex Valentiã à Mauris occupatam expugnauerit, accepta prius ab eo obtinendæ victoriæ ſecuritate. Angeli Cuſtodis, ac Deiparæ Virginis frequẽti apparitione recreabatur. Senio tãdem confectus, de imminenti morte certior factus, in morbum incidit, ſanctiſque refectus Sacramentis, fratres ſuos ad charitatem erga captiuos cohortatus, & Pſalmũ, Confitebor tibi Domine in toto corde meo, deuotiſsimè recitans, ad illa verba, Redẽptionem miſit Dominus populo ſuo, ſpiritum Deo reddidit media nocte vigiliæ Natiuitatis Domini, anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto. Cuius feſtiuitatem Alexander Septimus die trigeſima prima Ianuarij celebrari præcepit.

*Reſp.* Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam:* Quia te vidi iuſtum corã me ex omnibus gentibus. *Reſp.* Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cæleſtia regna. Quia te vidi. Gloria Patri Quia te vidi.

*In tertio Nocturno, Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri in Euangelium.* Nolite timere puſillus grex. *de Communi Confeſſoris non Pontificis.*

*Miſſa.* Iuſtus vt palma florebit

rebit, *de Communi Confeſſoris non Pontificis*, *Oratio*. Deus, qui in tuæ, *vt ſupra*.

DIE I. FEBRVARII.

*Quinta die Infraoctauam ſancti Iuliani, fit de ſancto Ignatio Episc. & mart. Semiduplex, vt in Breuiario, cum commem. Octauæ.*

DIE II. FEBRVARII.

*Sexta die Infra Oct. ſancti Iuliani, fit de Purificatione B. M. V. Dupl. 2. C. vt in Breuiario, ſine commem. Octauæ: in ſecundis autem Veſp. fit commem. Octauæ (ſi de ea faciendum ſit Officium ſequenti die) & S. Blaſij Episc. & mart.*

DIE III. FEBRVARII.

*Septima die Infraoctauam ſancti Iuliani.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

Sermo S. Bernardi Abbatis.

*In Vigilia Petri, & Pauli Apoſtolorum. Tom. 1.*

*Lectio IIII.*

TRria ſunt, quæ in hac feſtiuitate ſancti Iuliani vigilanter conſiderare debemus. Auxilium ſancti, exẽplum eius, confuſionem noſtram: auxilium eius, quia, qui potens in terra, potentior eſt in cælis ante faciem Domini Dei ſui. Si enim dum hic viueret, miſertus eſt peccatoribus, & orauit pro eis, nunc tantò ampliùs quantò veriùs agnoſcit miſerias noſtras: orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria charitatem eius non immutauit. Neque enim quia impaſsibilis omnino, ideò & incompaſsibilis factus eſt, ſed nunc potiùs induit ſibi viſcera miſericordiæ, cùm ante fontem miſericordiæ exiſtit.

*Reſp.* Inueni Dauid.

*Lectio V.*

DEbemus etiam attendere exemplum eius: quia quã diù in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, non declinauit ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ſed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui dicit: Ego ſum via, veritas, & vita. Intuemini humilitatem operum eius, auctoritatem verborum eius: & tunc videbitis quomodo tàm verbo quàm exemplo luxerit inter homines, qualia nobis veſtigia dereliquerit, vt ambulemus per ea, & non erremus in eis. Verè iuxta Prophetam ſemita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum.

*Reſp.* Poſui adiutorium.

*Lectio*

*Lectio VI.*

SEd & diligentiori intuitu confuſionem noſtram inſpiciamus, quia homo ille ſimilis nobis fuit, paſsibilis, ex eodem luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo eſt quod non ſolùm difficile, ſed & impoſsibile credimus, vt faciamus opera quæ fecit, vt ſequamur veſtigia eius? Confundamur, fratres, & contremiſcamus ad vocem iſtam, ſi fortè hæc confuſio adducat nobis gloriam: ſi fortè generet gratiã nobis timor iſte. Sic ergo in ſancti Iuliani feſtiuitate & gaudere, & confundi debemus: gaudere, quia patronum premiſsimus: confundi, quia eum imitari non poſſumus.

*Reſ.* Iſte eſt, qui ante Deũ.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecũdum Matthæum.

*Lectio VII.* *Cap. 6.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiũt & furantur Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

*In cap. 3. Matthæi. Homil. 12. tom. 2. paulò ante finem.*

QVia in cælo eſt domus noſtra, ibi etiam omnia recõdamus, nihil hîc penitus relinquentes, ne illud perdamus. Hic ſiquidem etſi oſtijs theſauros tuos, etſi clauibus ſeriſque communias, ſi apponas famulorum mille cuſtodias, etſi ſuperes omnes inſidias malignorum, etſi oculos effugias inuidentium, etſi nulla pertineas damna patiaris etiam ſi nullum omnino rebus inferat detrimentum vetuſtas (quod vtique inter impoſsibilia numerandum eſt) mortem tamen numquam valebis effugere: ſed vno tibi momento temporis omnia illa rapientur, nec rapientur modò, ſed in manus etiam inimicorum plerumque tradentur.

*Reſp.* Amauit eum Dominus

*Lectio VIII.*

SI verò in ſupernam illam domum opes tuas transferas, omnia proculdubio iſta ſuperabis. Non enim oſtium, non ſeras & claues ſuperponi erit neceſſe: tanta eſt potentia illius ciuitatis, tam indeſpoliabilis regio, & quę omnino inuia corruptioni malitiæquè permaneat. Nonne igitur extremæ vecordiæ eſt, hic quidem, vbi repoſita corrũpuntur ac pereunt, omnia congregare: eo loci

loci autem, vbi & intacta permanent, atque etiam augentur, non vel minimum quidem reponere, & hoc cum ibi ſimus ſine fine victuri.

*Reſp.* Sint lumbi veſtri.

*Pro ſancto Blaſio. 9. lect. vt in Breuiario, & in Laud. fit comm.*

---

## DIE IIII. FEBRVARII.

*In Octaua ſancti Iuliani, Dupl. Omnia ſicut in die, præter ea quæ hic habentur.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

Sermo S. Bernardi Abbatis.

*Sermo 2. de S. Victore. Tom. 2.*

*Lectio IIII.*

GAudere in Domino, dilectiſſimi, qui inter continua ſuæ pietatis beneficia indulſit mundo beatum Iulianum, cuius multi ſaluarentur exemplo. Iterum dico gaudete, quod factus de medio, appropiauit Deo, vt multo plures eius interceſſione ſaluentur. Habet ex hominibus cui hominum peccata donet miſericors & miſerator Dominus; habet tempus & locum intercedendi pius & miſericors aduocatus. In terris viſus eſt, vt eſſet exemplo: in cælum leuatus eſt, vt ſit patrocinio. Hic informat ad vitam: illic inuitat ad gloriam. Factus eſt mediator ad regnum, qui fuit indicator ad opus. Bonus mediator, qui ſibi iam poſtulans nihil, totum in nos transferre deſiderat, & ſupplicantis affectum, & ſupplicationis fructum.

*Reſp.* Inueni Dauid.

*Lectio V.*

HAec dies glorioſæ migrationis eius, dies lætitiæ cordis eius, exultemus, & lætemur in ea. Introiuit in potentias Domini, gaudeamus, quia nunc potentior eſt ad ſaluandum. Hodie, poſito corpore, quo ſolo præpediri ab introitu gloriæ videbatur tanto alacrior quanto expeditior penetrauit in ſancta, ſimilis factus in gloria Sanctorũ. Hodie de nouiſsimo & humili loco, quem ſibi ex conſilio Saluatoris elegerat, ipſo ſummo Patrefamilias euocante, verus amicus aſcendit ſuperius, & eſt illi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Aſcendit autem cum immenſa ſupellectili meritorũ, clarus triumphis, miraculis glorioſus.

*Reſp.* Poſui adiutorium.

*Lectio VI.*

ANima eius in bonis demorabitur. Quæris vbi? cum Abraham, Iſaac, & Iacob

Iacob in regno cælorum. Iſte cum talibus, & tali in loco ſibi ſedet: Sedet excelſa, & fulgida, ſedet lætabunda & laudans, ſedet delicata & ornata monilibus ſuis, ſtipata malis, fulcita floribus. Sedet glorioſus Pontifex debita iam ſuauitate & ſecuritate quietus: ſecurus quidem ſibi, ſed noſtri ſolicitus. Non enim cum putredine carnis ſimul ſe exuit viſceribus pietatis, nec ſibi ſic induit ſtolam gloriæ, vt noſtræ pariter miſeriæ, ſuæque ipſius miſericordiæ, obliuionem indueret.

*R.* Iſte eſt, qui ante Deũ.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecũdum Matthæum.

*Lectio VII.* *Cap. 6.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Et reliq.

Homilia S. Ambroſij Epiſc.

*Ex cap. 14. de Nabuthe Iezraelita. Tom. 1.*

CVſtos es earum, nõ Dominus facultatum, qui aurum terræ infodis, miniſter vtique eius, non arbiter. Sed vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum, Ergo in illo auro cor tuum infodiſti terræ. Vende potius aurum, & eme ſalutem: vende lapidem, & eme regnum Dei: vende agrum, & eme tibi vitam æternam. Conſidera quia iſta tibi poteſt mors eripere, poteſtas ſuperioris tollere. Deinde, quia poteris parua pro magnis, caduca pro æternis, theſauros pecuniæ pro theſauris gratiæ vendere. Iſti corrumpuntur, illi permanent. Conſidera quia hos ſolus non poſsides: poſsidet tecum tinea, poſsidet ærugo, quæ cõſumit pecuniam. Has tibi conſortes auaritia dedit.

*R.* Amauit eum Dominus.

*Lectio VIII.*

VIde autem quos tibi det gratia debitores. Splendidum in panibus benedicent labia iuſtorum, & teſtimonium bonitatis illius fidele. Facit tibi Patrem debitorem Deum, qui pro munere, quo pauper adiutus eſt, fœnus exoluet, quaſi boni debitor creditoris. Facit tibi debitorem Filium Dei, qui ait: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me. Quod enim vnicuique minimorum collatum fuerit, ſibi dicit eſſe collatum. Neſcis, ò homo, ſtruere diuitias.

Si

Si vis diues eſſe, eſto pauper ſæculo, vt ſis diues Deo. Diues fidei, diues eſt Deo: qui diues eſt in miſericordia, hic eſt diues Deo.

*Reſp.* Sint lumbi veſtri.

*Lectio IX.*

SVnt qui in paupertate abſident: & qui in diuitijs egeant, abundant pauperes, quorum profunda paupertas abundauit in diuitijs ſimplicitatis ſuæ: diuites autem eguerunt, & eſurierunt. Neque enim otioſè ſcriptum eſt: Diuitum pauperes præpoſiti erunt, & proprijs ſerui dominis fœnerabunt; quia diuitis, & domini ſuperuacua, & mala ſeminant, ex quibus non fructum colligant, ſed ſpinas metant. Ideò pauperibus diuites erunt ſubditi, & ſerui dominis ſpiritalia fœnerabunt: quemadmodum diues rogabat, vt ſibi, ſtillam aquę pauper Lazarus feneraret. Potes, & tu, diues, iſtam implere ſententiam, ſi largiaris pauperi. Qui enim largitur pauperi, Domino fœnerat.

Te Deum laudamus.

*In ſecundis veſperis fit commemor. ſanctæ Agathæ Virginis & mart. vt in Breuiario.*

*Si dies octaua ſancti Iuliani veni in Dominica Septuag. fit Officium de Dominic. hoc modo, Veſperæ in Sabbato præcedenti dicuntur de Feria, vt in Pſalterio, ſcilicet, Antiph.* Benedictus *Pſalmi Sabbati, & a Capit. de Dominica, cum commem. diei Octau. vt in primis Veſper. feſti. Antiph.* Sacerdos, & Pontifex. *Verſ.* Amauit eum Dominus, *Oratio.* Excita, *ſine Suffrag. conſuetis, & precibus propter Octau.*

*Sequenti die fit de Dominica prædicta cum commem. Octau. in Laudib. & ſecundis Veſper. & non dicuntur Suffragia, nec preces ad Primam, & Cōpletor.*

*Si dies Oct. venerit in Fer. IIII. Cinerum, nihil fit de Oct. neque in primis Veſp. eiuſde diei Oct. ſed Fer. iij. dicuntur Veſp. de Feria ſine commem. Oct. cum de ea nihil fieri debeat die ſequẽti, & ſic ceſſabit omnino in Nona ſeptimæ diei Inſ. Oct. ex Rubric. Octauarij Romani.*

---

## DIE IV. FEBRVARII.

### In feſto Sanctæ Andreę Corſini Epiſ. & Conf. Sem. ad libitum.

*Omnia de Communi Confeſſ. Pontif. præter Orationem & Lectiones ſecundi Nocturni.*

*In Hymno ad Veſp. & Matutinum dicatur,* Hac die lętus meruit ſupremos Laudis honores.

*Oratio.*

DEus plebis tuę inſtaurator, cui beatus Andreas Pontifex, abdicato ſæculi faſtu liberiori placuit miniſterio: da, quæſumus, paſtoris ſui ſolemnia recenſenti eius non destitui ſuffragio, cuius confidit meritis tuæ reſtitui gratior maieſtati. Per Dominum noſtrum.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura ocurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

ANdream, Florentię ex nobili Corſinorum familia natum, parẽtes precibus à Deo impetrarunt, & beatę Virgini ſpoponderunt. Qualis autem futurus eſſet, diuino præſagio, antequam naſceretur, oſtenſum eſt: nam mater grauida ſibi viſa eſt per quietem lupum ediſſe, qui ad Carmelitarum ædem pergens, in ipſo templi veſtibulo ſtatim in agnum conuerſus eſt. Adoleſcens pie & ingenue educatus, cum ſenſim ad vitia declinaret, ſæpè à matre increpatus fuit. Vbi autem cognouit, ſe parentum voto Deiparæ Virgini dicatum fuiſſe, Dei amore ſucceſus, deque viſu matris admonitus, Carmelitarum inſtitutum amplexus eſt, in quo variis tentationibus à dæmone vexatus, nunquam tamen potuit à Religionis propoſito dimoueri. Mox Lutetiam miſſus, emenſo ſtudiorum curriculo & laurea donatus, in patriam reuocatur, ſuique Ordinis regimini in Hetruria præficitur.

*Reſp.* Inueni Dauid. *Lect. V.*

INterea Feſulana Eccleſia ſuo viduata Paſtore, eum ſibi Epiſcopum elegit: ac tuo muneri ſe indignum æſtimans, diu latuit ignotus, donec pueri voce mirabiliter loquentis proditus, & extra vrbem inuentus ne diuinæ contradiceret voluntati, Epiſcopatum ſuſcepit. Ea dignitate auctus, humilitati, quã ſemper coluerat, impenſius ſtuduit, & paſtorali ſollicitudini miſericordiam in pauperes, liberalitatem, orationis aſſiduitatem, vigilias, aliaſque virtutes adiunxit, & ſpiritu etiã prophetico clarus fuit, adeo, vt eius ſanctitas ab omnibus celebraretur.

*R ſp.* Poſui adiutorium.

*Lectio VI.*

HIs permotus Vrbanus Quintus, ad ſedandas Bononiæ turbas, Andream legatum miſit: quo in munere multa perpeſſus, ciuium odia, quæ ad internecionem

exar-

exarſerant: ſumma pruden-tia reſtinxit; tum reſtituta tranquillitate ad propria re-uerſus eſt. Nec multò poſt aſsiduis laboribus & volunta ria carnis maceratione con-fectus, obitus die à beata Vir gine ſibi prædicto, ad cæleſ-tia regna migrauit anno Do mini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, ætatis ſuæ ſeptuageſimo primo. Quẽ Vrbanus Octauus mul-tis magniſque miraculis cla-rum Sanctorum numero ad-ſcripſit. Eius corpus Floren-tiæ in Eccleſia ſui Ordinis quieſcit, & maxima ciuium veneratione colitur, quibus non ſemel in præſenti diſcri mine præſidio fuit.

*Reſp.* Iſte eſt, qui ante Deum.

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euange lium* Homo peregrè proficiſ cens. *de Communi Confeſ. Pont.*

*Miſſa de Communi Confeſ. Pontif.* Statuit ei Dominus. *Prima Oratio, vt ſupra, reliqua de eodem Communi.*

---

## DIE VIII. FEBRVARII.

In feſto Sancti Ioannis de Matha Conf. Duplex.

*In Hiſpania tantum.*

*Omnia de Communi Conf. nõ Pontif. exceptis his quæ ſunt propria.*

*Oratio.*

DEus, qui per ſanctũ Ioan-nem de Matha Ordinẽ Santiſsimæ Trinitatis, ad re-dimendum de poteſtate Sa-racenorum Captiuos, cælitus inſtituere dignatus es: præſta quæſumus, vt eius ſuffragan-tibus meritis, à captiuitate corporis & animæ, te adiuuã te, liberemur. Per Dominum noſtrum.

*In primo Nocturno Lectio-nes de Scriptura occurren. c.*

*Si autem occurrat in Quadra geſima legantur Lectiones de Communi Conf. non Pontif.* Iuſ-tus, ſi morte præoccupatus.

## IN SECVNDO NOCT.

*Lectio IV.*

IOannes de Matha, Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis Re demptionis Captiuorum in ſtitutor, Falcone in Prouin-cia natus eſt, parentibus pie-tate, & nobilitate conſpicuis. Studiorum cauſa Aquas Sex tias, mox Pariſios profectus, confectoque Theologiæ cur riculo, Magiſterij Lauream adeptus, Doctrinæ & virtutũ ſplendore enituit. Quibus motus Pariſienſis Antiſtes ad ſacrum Presbyteratus ordi-nem præ humilitate reluctã-tem promouit, eo conſilio vt in ea Ciuitate commorans ſapientia & moribus ſtudioſç

iuuen-

iuuentuti prælucceret. Cum autem in Sacello eiuſdem Epiſcopi, ipſo cum alijs adſtante, primũ Deo ſacrum offerret, cæleſti fauore meruit recreari. Nã Angelus candida & fulgenti veſte indutus, cui in pectore Crux rubei & cerulei coloris aſſuta erat, brachijs cancellatis, & ſuper duos Captiuos ad latera poſitos, Chriſtianum vnum, alterum Maurum, extenſis apparuit. Qua viſione in extaſim raptus, intellexit protinus vir Dei, ſe ad redimendos ab infidelibus Captiuos deſtinari.
*Reſp.* Honeſtum fecit.

*Lectio V.*

QVo verò maturius in re tanti momenti procederet, in ſolitudinem receſſit, ibique diuino nutu factum eſt, vt Felicem Valeſium in ipſa eremo iam multis annis degentem repererit, cũ quo inita ſocietate ſe per triennium in oratione, & contemplatione, omniũmque virtutum ſtudio exercuit. Contigit autem, vt dum ſecum de rebus Diuinis propè fontem colloquerentur, ceruus ad eos acceſſerit, Crucem inter cornua gerens rubei & cerulei coloris: Cumque Felix ob rei nouitatem miraretur, narrauit ei Ioannes viſionem in prima Miſſã habitã, & exinde feruentius orationi incumbentes, ter in ſomnis admoniti, Romam proficiſci decreuerunt, vt à Summo Pontifice noui Ordinis pro redimendis Captiuis inſtitutionem impetrarent. Electus fuerat eo tempore Innocentius Tertius, qui illis benignè acceptis, dum ſecum de re propoſita deliberat, in feſto ſanctæ Agnetis Secundo Laterani intra Miſſarum ſolemnia ad SacræHoſtiæ eleuationem, Angelus ei candida veſte, cruce bicolori, ſpecie redimentis Captiuos apparuit. Quo viſo Pontifex Inſtitutum approbauit, & nouũ Ordinem Sanctiſsimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum vocari iuſsit, eiuſque profeſſoribus albas veſtes cũ Cruce rubei & cerulei coloris præbuit.
*Reſp.* Amauit eum Dominus.

*Lectio VI.*

SIc ſtabilito Ordine, ſancti Fundatores in Galliam redierunt, primoque Cœnobio Cerui frigidi in Diœceſi Meldenſi conſtructo ad eius regimen Felix remanſit & Ioannes Romam cum aliquot ſocijs reuerſus eſt, vbi Innocentius domum, Eccleſiã, & Hoſpitale ſancti Tho-

mæ

mæ de Formis in Mõte Cœlio eis donauit, cum multis redditibus,& poſſeſsionibus. Datis quoque litteris ad Miramamolinũ Regem Marochij opus redemptionis felici auſpicio inchoatum fuit. Tum ad Hiſpanias, ſub iugo Saracenorum magna ex parte oppreſſas, Ioannes profectus eſt, Regumque, Principũ atque aliorum fidelium animos ad Captiuorum,& pauperum commiſerationem cõmouit. Monaſteria ædificauit Hoſpitalia erexit, magnoque lucro animarum plures Captiuos redemit. Romam tandem reuerſus, ſanctiſque operibus incumbens, aſsiduis laboribus attritus, & morbo confectus, ardentiſsimo Dei & proximi amore exæſtuans ad extremum deuenit. Quare fratribus conuocatis, eiſque ad opus redemptionis, cælitus præmonſtratum, efficaciter cohortatis, obdormiuit in Domino ſexto decimo Kalendas Ianuarij, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo decimo tertio: eiuſque corpus in ipſa Eccleſia ſancti Thomæ de Formis condigno honore tumulatum fuit.

*Reſp.* Iſte homo perfecit omnia.

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangel.* Sint lumbi veſtri præcincti. *de eodem Communi.*

*Miſſa:* Os iuſti. *de eodem Cõmuni. Oratio, vt ſupra.*

---

## DIE XVII. MARTII.

In feſto S. Gertrudis Virginis. Semiduplex.

*Omnia de communi Virg præter ea, quæ hic ſunt propria.*

*Oratio.*

DEus, qui in puriſsimo corde beatæ Gertrudis virginis tuæ iucundam tibi habitationem præparaſti: eius meritis,& interceſsione cordis noſtri maculas clementer abſterge, vt digni diuinæ Maieſtatis tuæ habitatio effici mereatur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum viuit.

*Deinde fit commemoratio Feriæ, & Sancti Patricij Ep. & Confeſſoris.*

*In primo Nocturno, Lectiones de Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios,* De Virginibus, *&c. Si celebretur in Quadrageſima: Alias de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IV.*

GErtrudis Virgo Iſlebii in Comitatu Mansfeldienſi nobiliſsimis parentibus

bus nata, quinquennis Chriſto, cui iam nubilis erat, & matura, in Monaſterio vrbis Rouerdæ Ordinis ſancti Patris Benedicti virginitatem ſuam conſecrauit. Ab ipſo in Religionem ingreſſu Angelicæ vitæ rationē inijt, & litteris humanioribus, & diuinis apprimè exculta, ad eam doctrinæ perfectionem peruenit, quam eruditiſsimi quique merito ſuſpicerent. Eximia fuit eius contemplatio, in qua multis reuelationibus ac viſis cæleſtibus à Deo illuſtrata, eodem inſpirante libros diuinæ ſapientiæ plenos conſcripſit. Quamvis autem tantis naturæ, ac gratiæ dotibus eniteret, diuinis frueretur colloquijs prophetiæ dono, & plurimis eſſet inſignita miraculis: adeò tamen ipſa ſibi vileſcebat, vt inter præcipua diuinæ virtutis miracula hoc vnum ſingulare crederet, quod ſe indigniſsima vt dictitabat, terra peccatricem ſuſtineret.

*Reſp* Propter veritatem.

*Lectio V.*

DVm annum ageret trigeſsimum, in Abbatiſſam eius primum Monaſterij in quo habitum receperat, deinde Elpediani, ſiue, vt vocant, Elphiani electa: quo in munere per quadraginta annos ea charitate, prudentia, & regularis diſciplinæ integritate ſe geſſit, vt Cœnobium domus Dei eſſe videretur, in qua corporati Angeli viuerent ſub Gertrude magiſtra: quæ quamvis eſſet omnium mater, omnium tamen ſe miniſtram exhibebat. Cœleſtis ſponſus in eius puriſsimo corde delicias ſuas collocauit, cui ſuorum etiam vulnerum ſtigmata igneo amoris ſtilo diuinus cælator inuſſit. Hinc illa nihil niſi Chriſtum loquebatur, quem in corde geſtabat: qui nuſquam ſe conuenientius, quam in Altaris Sacramento, ac deinde in huius dilectæ ſuæ corde, & anima inueniendum pronunciauit. Eiuſdem chariſsimæ ſponſæ ſanctitatem diuini oris ſui confirmauit oraculo, cum teſtatus eſt, nullam tunc temporis animam in terris viuere, quæ vt illi cōiunctione ita gratior eſſet, & acceptior.

*Reſp.* Dilexiſti iuſtitiam.

*Lectio VI.*

DEiparam Virginem, peculiari beneficio in matrem, & procuratricem ſibi à Chriſto datam, quam cum alijs cæli ciuibus frequenter habebat ſpectabilem ſingulari pietate proſequebatur

tur. Erga Sanctiſsimum Eucharistiæ Sacramentum, & Christi paſsionem tanto amoris, & gratitudinis ſenſu afficiebatur, vt tota lac ymis liquesceret. Animas piaculaibus flammis addictas quotidianis ſuffragijs, & aſsiduis precibus ſubleuabat. Zelo diuini honoris promouendi, & procurandæ ſalutis proximi iugiter ardebat. Cum igitur feruentiſsimo Dei amore potius quàm morbo langueret; huic Christus cum Sanctiſsima Matre, dilectoque diſcipulo, & candidiſsimo virginum choro comitatus adfuit & eius animam corporis ſolutam compagibus, ac mirabili pectoris explicatione intra cordis ſui penetralia receptam ad cæleſtem thalamum traduxit.

*Reſp.* Afferentur Regi.

*In tertio Nocturno Lectiones S. Gregorij Papæ.* Simile eſt regnum cælorum, *de communi Virginum, 9. Lect. & com. fer. & S. Patricij Epiſc. Conf. in veſ. fit com. S. Gertrudis & fer.*

---

DIE XVIII. MARTII.

Officium proprium S. Gabrielis Archangeli. duplex.

*Ad Veſperas Añ.* Ingreſſo Zacharia, *cum reliq. de Laudibus. Pſal.* Dixit Dominus. *Cum reliquis de Dominicis Veſ. Pſalm.* Laudate Dominum omnes gentes.

*Capitulum. Dan. 9.*

Ecce vir Gabriel, quem videra in viſione à principio, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me; & locutus eſt mihi, & dixit: Daniel nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres.

*Hymnus.*

CHRISTE, ſanctorum, decus Angelorum,
Gentis humanæ Sator, & Redemptor,
Cælitũ nobis tribuas beatas,
Scandere ſedes.
Angelus pacis Michael in ædes
Cælitus noſtras veniat; Serenæ,
Auctor vt pacis lachrymoſa in orcum,
Bella releget.
Angelus fortis Gabriel, vt hoſtes
Pellat antiquos, & amica cælo,
Quę triumphator ſtatuit per orbem,
Templa reuiſat.
Angelus noſtræ medicus ſalutis
Adſit è cælo Raphael, vt omnes

Sanet ægrotos, dubioſque vitæ,
Dirigat actus.
Virgo Dux pacis, Genitrixque lucis,
Et ſacer nobis Chorus Angelorum
Semper aſsiſtat, ſimul, & micantis,
Regia cæli.
Præſtet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque ſancti
Spiritus, cuius reſonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

*Verſ.* Stetit Angelus iuxta aram templi.
*Reſp.* Habens thuribulum aureum in manu ſua.

*Ad Magnif. Aña.*

Ingreſſus Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, dixit: Aue, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. *Oratio.*

DEus, qui inter cæteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuæ myſterium Gabrielem Archangelum elegiſti: concede propitius, vt qui feſtum eius celebramus in terris, ipſius patrocinium ſentiamus in cęlis. Qui viuis, & regnas.

*In Quadrageſima fit comm. feriæ occurrentis in Vtriſque Veſp. & Laudib.*

*Ad Matutinum, Inuitatorium;*

Regem Archangelorum Dominum. * Venite adoremus. *Pſal.* Venite exultemus.

*Hymn.* Chriſte ſanctorum, *vt ſupra in Veſp.*

*In primo Nocturno, Aña.*

Dixit Angelus Gabriel ad Danielem: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur viſio.

*Pſal.* Domine Dominus noſter, *& alij Pſalm. vt in feſto Dedicationis S. Michaelis xxix. die Septembris.*

*Aña.* Ecce vir Gabriel, quē videram in viſione, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me. *Pſal.* In Domino confido.

*Aña.* Cumque Gabriel loqueretur ad me, collapſus ſum pronus in terrã, & tetigit me, & ſtatuit me in gradu meo.

*Pſal.* Domine, quis habitabit.

*Verſ.* Stetit Angelus iuxta aram templi.
*Reſp.* Habens thuribulum aureum in manu ſua.

Ex Daniele Propheta.

*Lectio I.* Cap. 9.

EGo Daniel, cum adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael, & poſternerem preces meas in con-

conſpectu Dei mei, pro monte ſancto Dei mei, ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me, & locutus eſt mihi, dixitque Daniel, nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo. Ego autē veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es. Tu autē animadverte ſermonem, & intellige viſionem,

*Reſp.* Cum oraret Daniel, & confiteretur peccata ſua, & peccata populi ſui. * Ecce Archangelus Gabriel citò volans tetigit eum in tempore ſacrificij veſpertini.

*Verſ.* Cumque proſterneret preces ſuas in conſpectu Dei ſui. Ecce Archangelus,

*Lectio II.*

SEptuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbē ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: Et rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporū.

*Reſp.* Locutus eſt Gabriel Danieli, & dixit: Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo. * Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es.

*Verſ.* Tu autem animaduerte ſermonem, & intellige viſionem. Ego autem veni,

*Lectio III.*

ET poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & nō erit eius populus, qui eum negaturus eſt: & ciuitatem, & ſanctuarium diſsipabit populus cum duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis: & vſque ad conſummationē, & finem perſeuerabit deſolatio. *Reſp.* Ecce vir Gabriel, quem videram citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me, & dixit. * Daniel, nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres. *Verſ.* Gabriel fac

me intelligere iſtam viſioné: & venit & ſtetit iuxta vbi ego ſtabam, & ait ad me. Daniel. Gloria Patri. Daniel.

*In ſecundo Nocturno.*

*Aña.* Gabriel Angelus apparuit Zachariæ, dicens: Vxor tua Eliſabeth pariet tibi filiũ: & vocabis nomen eius Ioannem. *Pſalm.* Cæli enarrant.

*Aña.* Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc ſciam: Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſsit in diebus ſuis. *Pſal.* Domini eſt terra.

*Aña.* Reſpondens autem Angelus, dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum & miſſus ſum loqui ad te, & hec tibi evangelizare. *Pſal.* Benedicam Dominum.

*Verſ.* Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini.

*Reſp.* De manu Angeli.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

*Ex homilia 1. de Laudibus Virginis ſuper miſſus eſt.*

*Lectio IIII.*

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo. Non arbitror hunc Angelum de minoribus eſſe, qui qualibet ex cauſa, crebra ſoleat ad terras fungi legatione. Quod ex eius nomine palam intelligi datur, quod interpretatum, fortitudo Dei, dicitur: & quia non ab aliquo aliꝰ forte excellentiore ſe (vt aſſolet) ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo poſitum eſt à Deo. Vel ideò dictum eſt, à Deo, ne cui vel beatorum ſpirituũ ſuum Deus ante quam Virgini reuelaſſe putetur conſiliũ, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele, qui vtique tãtæ inter ſuos inueniri potuerit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur, & nuntio.

*Reſp.* Factum eſt cum ſacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuę ante Deũ * Apparuit ei Angelus Gabriel, ſtans à dextris altaris incenſi. *Verſ.* Cumque ingreſſus in templum Domini incenſum poneret ſecundum conſuetudiné Sacerdotij ſui. Apparuit ei.

*Lectio V.*

Ne diſcordat nomen à nuntio Dei: quippe virtutem Chriſtum, quem melius nuntiare decebat, quã hunc quem ſimile nomen honorat. Num quid eſt aliud fortitudo, quàm virtus? Non autem dedecens, aut incongruum videatur, Dominum, & nuntium communi cenſeri vocabulo: cum ſimilis in vtroque appellationis, non ſit

tamen vtriuſque ſimilis cauſa. Aliter quippe Chriſtus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupatiuè, Chriſtus autem etiam ſubſtantiuè.

*Reſp.* Deſcendit Gabriel Angelus ad Zachariam, dicens: * Ne timeas, quoniam exaudita eſt deprecatio tua; & vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. *Verſ.* Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum: ait autem ad illum Angelus. Ne timeas.

*Lectio VI.*

CHriſtus Dei virtus, & dicitur, & eſt: qui forti armato, qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat, fortior ſuperueniens, ipſum ſuo brachio debellauit, & ſic ei vaſa captiuitatis potenter eripuit. Angelus vero Fortitudo Dei appellatus eſt: vel quod huiuſcemodi meruerit prærogatiuam officij: quo eiuſdem nuntiaret aduentum virtutis: vel quia Virginem natura pauidam, ſimplicem, verecundam, ne miraculi nouitate expaueſceret, confortare deberet: quod & fecit: Ne timeas, inquiens, Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Conuenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imò quia tale illi negotiũ iniungitur, rectè tali nomine deſignatur.

*Reſp.* Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum: & miſſus ſũ loqui ad te, & hæc euangelizare. * Ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque ad diem, quo hæc fiant. *Verſ.* Pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo. Ecce eris tacens. Gloria Patri. Ecce eris tacens.

*In tertio Nocturno.*

*Añ.* Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam Virginem deſponſatam Ioſeph. *Pſal.* Cantate Dño.

*Añ.* Gabriel Angelus Mariæ dixit: Ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua. *Pſa.* Dominus regnauit, exultet.

*Añ.* Suſcipe Verbum Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum Gabrielem trãſmiſſum eſt. *Pſa.* Benedica anima mea Domino.

*Verſ.* In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus. *Reſp.* Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

*Lectio VII.* *Cap.* I

IN illo tempore: Miſſus eſt

Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Iuliani Archiepiſcopi Toletani.

*Lib. 2. contra Iudæos, ſtatim poſt principium. Lect. VII.*

SAcramentum illud ſeptuaginta hebdomadarum de Christi natiuitate Daniel per Angelum didicit: ſimiliter & Zacharias, apparente ſibi Angelo, Ioannem filium de ſe generandum audiuit; & Maria, Angelo ſibi prædicenti Christum ex ſe naſcendum, & credidit, & aſſenſit. Hæc tria per Angelum dicta & completa videmus. Iam ergo ſolicitè intuendum eſt, vtrum Angelus iſte, qui Zachariæ, & Mariæ apparuit, ipſi quoque Danieli illa prædixerit.

*Reſp.* Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam Virginem deſponſatam Ioſeph & expaueſcit virgo de lumine. * Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Dominū: ecce concipies, & paries, & vocabitur Altiſsimi filius.

*Verſ.* Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio: & ait Angelus ei: Ne timeas, Maria.

*Lectio VIII.*

EQuidē ipſe Daniel in prophetiæ ſuæ volumine, quādo illa ſacramenta hebdomadarum de Chriſti natiuitate per Angelum futura cognouit, ſic ipſius Angeli nomē euidenter expreſsit. Dicit enim: Ecce vir Gabriel, quē videram in principio, citò volans tetigit me & dixit: Daniel animaduerte ſermonem: & reliqua, quæ ibi commemorantur. Item his temporibus ſecundum Euangelium, Angeli ipſius nomen mirificē ſic inuenitur expreſſum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: Ego ſum Gabriel, qui aſtò ante Deū, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.

*Reſp.* Gaude Maria Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti. * Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidiſti, dum virgo Deū, & hominem genuiſti, & poſt partum virgo inuiolata permanſiſti.

*Verſ.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. * Quæ Gabrielis. Gloria. Quæ Gabrielis.

*Nona Lect. 9. de fer. ocurrenti. Niſi transferatur poſt Octauam*

Paſ-

*Paſch. quia tunc dicitur ſequens.*

*Lectio IX.*

QVod etiam de B. Mariæ Virginis partu ſic in eodem Euangelio legitur. Miſſus eſt, inquit Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ; cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Iam ergo manifeſtũ eſt, quòd vnus, idemque Angelus Gabriel fuerit, qui & præfixa illa tempora Danieli de Chriſti natiuitate aperuit, & partum Virginis præſentem eſſe monſtrauit. Ad tempus itaque præfinitũ occurrit, & olim à ſe dicta operis efficiẽtia completa eſſe conuincit: & illic fidelis in prophetia hebdomadarum, & hic fidelis per miſterium reuelatum.

Te Deum laudamus.

*Ad Laudes & per Horas, Ant.*

INgreſſo Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus ſtans à dextris altaris incenſi. *Pſal.* Dominus regnauit, decorem.

*Ant.* Ait autem Angelus: Ne timeas Zacharia; quoniam exaudita eſt deprecatio tua.

*Ant.* Ego ſum Gabriel Angelus, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te.

*Ant.* Gabriel Angelus locutus eſt Mariæ, dicens: Ecce cõcipies in vtero, & paries filiũ, & vocabis nomẽ eius Ieſũ.

*Ant.* Dixit autem Maria ad Angelũ: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Gabriel Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obũbrabit tibi.

*Capitulum.* *Dan. 9.*

ECce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini. & docuit me: & locutus eſt mihi, & dixit: Daniel nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres.

*Hymnus.*

PLacare, Chriſte, ſeruulis,
Quibus Patris clementiã
Tuæ ad Tribunal gratiæ
Patrona Virgo poſtulat.
Et vos beata, per novem
Diſtincta gyros Agmina:
Antiqua cum præſentibus,
Futura damna pellite.
Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus,
Vt vnus omnes vnicum
Ouile nos Paſtor regat.
Deo Patri ſit gloria,
Natoque Patris vnico,
Sancto ſimul Paraclito,
In ſempiterna ſæcula.
Amen.

Verſ.

*Verſ.* Stetit Angelus iuxta arã templi.
*Reſp.* Habens thuribulum aureum in manu ſua.

*Ad Benedictus. Aña.*

Gabriel Angelus deſcendit ad Zachariã, & ait illi: Vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & multi in natiuitate eius gaudebunt: ipſe enim præibit ante faciem Domini pręparare uias eius.

*Oratio.*

Deus, qui inter cæteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuæ myſterium Gabrielem Archangelum elegiſti: concede propitius, vt qui feſtum eius celebramus in terris, ipſius patrocinium ſentiamus in cælis. Qui viuis & regnas.

*Ad Tertiam, Aña.* Ait autem Angelus. *Cap.* Ecce vir Gabriel, *vt ſupr. in laudib.*

*Reſp. Breu.* Stetit Angelus.* Iuxta aram Templi. Stetit Angelus.

*Verſ.* Habens thuribulum aureum in manu ſua. Iuxta. Gloria. Stetit Angelus.

*Verſ.* Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini.

*Reſp.* De manu Angeli.

*Ad Sextam, Aña.* Ego ſum Gabriel.

*Cap. Dan. 9.*

Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorũ es: ſeptuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt, vt finem accipiat peccatum, & impleatur viſio, & prophetiã, & vngatur Sãctus Sanctorũ.

*Reſp. Br.* Aſcendit fumus aromatum.* In conſpectu Domini. Aſcendit fumus.

*Verſ.* De manu Angeli. In cõſpectu. Gloria Patri, & Filio. Aſcendit.

*Verſ.* In conſpectu Angelorũ pſalam tibi Deus meus.

*Reſp.* Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

*Ad Nonam. Aña.* Dixit autem Maria.

*Cap. Dan. 9.*

Scito ergo, & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duę erũt.

*Reſp. Br.* In conpectu Angelorum.* Pſallã tibi Deus meus In conſpectu.

*Verſ.* Adorabo ad templum ſanctum tuũ, & confiterbor nomini tuo. Pſal. tibi. Gloria in cõſpectu. *Verſ.* Adorate Deũ

*Reſp.* Omnes Angeli eius.

*In ſecundis Veſp. fit de S. Ioſeph Conf.*

DIE

## DIE XIX. MARTII.

**In feſto Sancti Ioſeph Confeſ. Duplex ſecundæ claſsis.**

*Omnia vt in Breuiario Romano, præter ea quæ hic habentur propria.*

*Capitulum* Eccl. 31

BEatus vir, qui inuentus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.

*In vtriſque Veſperis.*
*Hymnus.*

TE, Ioſeph, celebrent agmina Cælitum,
Te cuncti reſonēt Chriſtiadum chori,
Qui clarus meritis iunctus es inclytæ
Caſto fœdere Virgini.
Almo cum tumidam germine coniugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflato ſuperi Flaminis Angelus
Conceptū puerū docet.
Tu natum Dominum ſtringis, ad exteras
Ægypti profugum tu ſequeris plagas,
Amiſſum Solymis quæris, & inuenis,
Miſcens gaudia fletibus.
Poſt mortem reliquos mors pia conſecrat,
Palmamque emeritos gloria ſuſcipit:
Tu viuens ſuperis par, frueris Deo,
Mira ſorte beatior.
Nobis, ſumma Trias, parce precantibus,
Da Ioſeph meritis ſidera ſcandere:
Vt tādem liceat nos tibi perpetim
Gratū promere canticū.
Amen.

*Verſ.* Os iuſti meditabitur ſapientiam.
*Reſp.* Et lingua eius loquetur iudicium.

*Ad Magnificat pro primis Veſperis, Antiphona*

IOſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt: pariet autem filium, & vocabis nomē eius Ieſum.

*Oratio.*

SAnctiſsimę Genitricis tuę Sponſi, quæſumus Domine, meritis adiuuemur: vt quod poſsibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Qui viuis, & regnas.

*Deinde fit comm. S. Gabrielis.*
*Ana.* Archangelus Gabriel ait ad Mariam: Non erit impoſsibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et diſcedit ab ea Angelus.
*Verſ.* In conſpectu Angelorũ pſallam tibi Deus meus.
*Reſp.* Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.
*Oratio.* Deus, qui inter ceteros, &c.
*Deinde fit comm. fer. Quadrageſ. ſi occurrat.*

*Ad Matutinum.*

*Hymnus.*

CÆlitum Ioſeph decus, atque noſtræ
Certa ſpes vitæ, columẽque mundi,
Quas tibi læti canimus benignus
Suſcipe laudes.
Te ſator rerũ ſtatuit pudicæ
Virginis ſponſum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit & miniſtrum
Eſſe ſalutis.
Tu Redemptorem ſtabulo iacentem,
Quem chorus Vatum cecinit futurum,
Aſpicis gaudens, humiliſque natum
Numen adoras.
Rex Deus Regũ, & Dominator orbis,
Cuius ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur Æther,
Se tibi ſubdit.
Laus ſit excelſæ Triadi perẽnis,
Quę tibi præbens ſuperos honores.
Det tuis nobis meritis beatę
Gaudia vitæ. Amen.

AD LAVDES.

*Capitu.* Beatus vir. *Vt ſupra.*

*Hymnus.*

ISte, quem læti colimus fideles,
Cuius excelſos canimus triumphos,
Hac die, Ioſeph, meruit perẽnis Gaudia vitæ
O nimis felix, nimis ò beatus,
Cuius extremam vigiles ad horam
Chriſtus & Virgo ſimul aſtiterunt
Ore ſereno.
Hinc ſtygis victor, laqueo ſolutus
Carnis, ad ſedes placido ſopore
Migrat æternas, rutiliſque cingit
Tempora ſertis.
Ergo regnantem flagitemus omnes,

Adſit

Adſit vt nobis, veniamque noſtris
Obtinens culpis, tribuat ſupernæ
Munera pacis.
Sint tibi plauſus, tibi ſint honores,
Trine, qui regnas, Deus: & coronas
Aureas ſeruo tribuis fideli
Omne per æuum Amē.

*Verſ.* Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas.
*Reſp.* Et oſtendit illi regnum Dei.

*Ad Benedictus. Antiph.*

ANgelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſrael, defuncti ſunt enim qui quærebant animã pueri.

*In ſecundis Veſperis.*

*Verſ.* Iuſtus vt palma florebit
*Reſp.* Et ſicut cedrus Libani multiplicabitur.

*Ad Magnificat. Antiph.*

MIſſus eſt Angelus Gabriel ad virginem deſpõſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de Domo Dauid: & nomen virginis Maria, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.



OFFICIVM SEPTEM Dolorum Beatæ Mariæ V.
Duplex maius.

*In omnibus Hiſpaniarum Regnis celebrandum Feria ſexta poſt Dominicam Paſsionis, ex conceſſione Clementis X.*

*Si prædicta Feria ſexta impedita fuerit alio feſto Duplici primæ vel ſecundæ claſsis, feſtum Septem Dolorum B. M. V. transferatur ad Sabbatum immediatum, quod ſi ſit impeditum alio feſto nouem Lectionum, illo anno omittatur feſtum Septem Dolorum, ita vt numquam transferatur ad Tempus Paſchale.*

*Si in primis vel ſecundis Veſperis concurrat cum feſto Annũtiationis Beatæ Mariæ, in Veſp. Annuntiationis non fit comm. feſti Septem Dolorum.*

*In Officio dicitur Hymnus:* Te Deũ laudamus, *& in Miſſa* Gloria in excelſis, *& in ea adhibetur collatio. Omnia ex Decretis Sac. Rit. Congreg. 3. Septemb. 1672. & 16. Septembris 1673.*

*Ad Veſperas. Añá.* Vadam ad montem myhrræ, & ad collem thuris.

*Pſalmus 120.*

CRedidi propter quod locutus ſum: * ego autem humiliatus ſum nimis.
Ego dixi in exceſſu meo: * Omnis homo mendax.

 Quid

Quid retribuam Domino: * pro omnibus qui retribuit mihi?
Calicem ſalutaris accipiam: *& nomẽ Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: * pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.
O Domine quia ego ſervus tuus;* ergo ſervus tuus,& filius ancillæ tuæ.
Dirupiſti vincula mea:* tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius: * in atrijs domus Domini,in medio tui Ieruſalem.
*Añ*. Vadam ad montẽ myrrhæ,& ad collem thuris.
*Añ*. Dilectus meus candidus & rubicundus: comæ capitis eius ſicut purpura Regis vincta canalibus.

*Pſalmus* 119.

AD Dominum cum tribularer clamaui: * & exaudiuit me.
Domine libera animam meã à labijs iniquis, * & à lingua doloſa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam doloſam?
Sagittæ potentis acutæ, * cũ carbonibus deſolatorijs.
Heù mihi, quia incolatus meꝰ prolongatus eſt: habitaui cũ habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.
Cum his qui oderũt pacem eram pacificus:* cum loquebar illis, impugnabant me gratis,
*Añ*. Dilectus meus candidus & rubicundus: comæ capitis eius ſicut purpura Regis vincta canalibus. *Añ*. Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quò dilectus tuus declinauit?

*Pſalmus* 139.

ERipe me Domine ab homine malo: * à viro iniquo eripe me.
Qui cogitauerunt iniquitates in corde: * tota die conſtituebant prælia.
Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes: * venenum aſpidũ ſub labijs eorum.
Cuſtodi me Domine de manu peccatoris:* & ab hominibus iniquis eripe me.
Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos:* abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.
Et funes extenderunt in laqueum: * iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.
Dixi Domino Deus meus es tu:* exaudi Domine vocẽ deprecationis meæ.
Domine, Domine virtus ſalutis meæ: * obumbraſti ſuper

per caput meum in die belli.
Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori: * cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.
Caput circuitus eorum: * labor labiorum ipſorum operiet eos.
Cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos: * in miſerijs non ſubſiſtent.
Vir linguoſus non dirigetur in terra: * virum iniuſtũ mala capient in interitu.
Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, * & vindictam pauperum.
Verumtamen iuſti confitebũtur nomini tuo: * & habitabunt recti cum vultu tuo.
*An*. Quo abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quò dilectus tu⁹ declinauit?
*Ana*. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.

*Pſalmus* 140.

DOmine clamaui ad te, exaudi me: * intende voci meę, cũ clamauero ad te.
Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: * eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.
Pone Domine cuſtodiam ori meo: * & oſtium circumſtantiæ labijs meis.
Non declines cor meum in verba malitiæ: * ad excuſandas excuſationes in peccatis.
Cum hominibus operãtibus iniquitatem: * & nõ communicabo cum electis eorum.
Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: * oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.
Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: * abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.
Audient verba mea quoniá potuerunt: * ſicut craſsitudo terræ erupta eſt ſuper terrã.
Diſsipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum: * quia ad te Domine Domine oculi mei: in te ſperaui, non auferas animam meam.
Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi: * & à ſcandalis operantium iniquitatẽ.
Cadent in retiaculo eius peccatores: * ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.
*Ana*. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Ant*. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

*Pſalmus* 141.

VOce mea ad Dominum clamaui: * voce mea ad Dominũ deprecatus sũ.
Effundo in conſpectu eius oratio-

tationem meam: * & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.
In deficiendo ex me ſpiritũ meum:* & tu cognouiſti ſemitas meas.
In via hac qua ambulabam,* abſconderunt laqueum mihi.
Conſiderabam ad dexteram, & videbam: * & non erat qui cognoſceret me.
Perijt fuga à me:* & non eſt qui requirat animam meam.
Clamaui ad te Domine,*dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.
Intende ad deprecationem meam:* quia humiliatus ſũ nimis.
Libera me à perſequentibus me:* quia confortati ſunt ſuper me.
Educ de cuſtodia animã meã ad confitendum nomini tuo: * me expectant iuſti, donec retribuas mihi.
*Añt.* Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo.

*Capitulum.* *Iſai.* 53.

QVis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.

*Hymnus.*

STabat mater doloroſa,
Iuxta Crucem lacrymoſa,
Dum pendebat Filius.
Cuius animam gementem,
Contriſtatam & dolenté,
Pertranſiuit gladius.
O quam triſtis & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Vnigeniti!
Quæ mœrebat, & dolebat,
Et tremebat cum videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo qui nõ fleret,
Chriſti matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?
Quis poſſet non contriſtari,
Piam matré contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis ſuæ gentis
Vidit Ieſum in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem natum
Morientem deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.
Eia mater fons amoris,
Me ſentire vim doloris.
Fac, vt tecum lugeam.
Fac vt ardeat cor meum
In amando Chriſtum Deũ
Vt ſibi complaceam. Amé.

*Verſ.* Ora pro nobis Virgo doloroſiſsima.
*Reſp.* Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

*Ad Magnificat, Antiph.*

Tuam ipſius animam (ait ad Mariam Simeon) pertranſibit gladius.

*Oratio.*

*Oratio.*

DEus, in cuius paſsione, ſecundum Simeonis prophetiam, dulciſsimam animam glorioſæ Virginis, & matris Mariæ doloris gladius pertranſiuit: cõcede propitius; vt qui transfixionem eius & paſsionem venerando recolimus, glorioſis meritis & precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter aſtantiũ intercedẽtibus, paſsionis tuæ effectum felicem conſequamur. Qui viuis & regnas.

*Et fit commem. Feriæ.*

*Antiph.* Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, ante quam patiar.

*Verſ.* Eripe me Domine ab homine malo. *Reſp.* A viro iniquo eripe me.

*Oratio.*

ESto, quæſumus Domine, propitius plebi tuæ: vt, quæ tibi non placent, reſpuentes, tuorum potius repleantur delectationibus mãdatorum. Per Dominum.

*Ad Completoriũ, & per Horas in fine Hymnorum dicitur:*

Ieſu, tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine.

*Ad Matutinum Inuitatorium.*

Dolores glorioſæ recolentes Virginis, Dominũ pro nobis paſſum, * Venite adoremus.

*Pſalm.* Venite exultemus. * ...

*Hymnus.*

SAncta mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta Crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare
In planctu deſidero. Amen.

*In primo Nocturno.*

*Aña.* Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

*Pſalmus 2.*

QVare fremuerunt gentes, * & populi meditati ſunt inania?

Aſtiterũt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, * aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Dirumpamus vincula eorũ: * & proijciamus à nobis iugum ipſorum.

Qui habitat in cælis irridebit eos: * & Dominus ſubſannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua, * & in furore ſuo conturbibit eos.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montẽ ſan-

ſanctum eius, * prædicans præceptum eius.
Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.
Postula à me, & dabo tibi gẽtes hereditatem tuam, * & posseſsionem tuam terminos terræ.
Reges eos in virga ferrea, * & tanquam vas figuli confringes eos.
Et nunc reges intelligite; * erudimini qui iudicatis terrã
Seruite Domino in timore.* & exultate ei cum tremore.
Apprehẽdite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus,* & pereatis de via iuſta.
Cum exarſerit in breui ira eius, * beati omnes qui confidunt in eo.
*Aña.* Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.
*Aña.* Voce mea ad Dominũ clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

*Pſalmus 3.*

DOmine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? * multi inſurgunt aduerſum me.
Multi dicunt animæ meæ: * Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.
Tu autem Domine ſuſceptor meus es, * gloria mea, & exaltans caput meum.
Voce mea ad Dominum clamaui: * exaudiuit me de mõte ſancto ſuo.
Ego dormiui, & ſoporatus sũ; * & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.
Nõ timebo millia populi circundantis me: * exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.
Quoniam tu percuſsiſti omnes aduersãtes mihi ſine cauſa: * dentes peccatorum contriuiſti.
Domini eſt ſalus: * & ſuper populum tuũ benedictio tua.
*Aña.* Voce mea ad Dominũ clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. *Aña* Factũ eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

*Pſalmus 12.*

VSque quo Domine obliuiſceris me in finem? * Vſquequo auertis faciem tuam à me?
Quandiu ponam conſilia in anima mea,* dolorem in corde meo per diem?
Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?* reſpice, & exaudi me Domine Deus meus.
Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: * nequando dicat inimicus meus

meus: Præualui aduerſus eum. Qui tribulant me, exultabũt ſi motus fuero: * ego autem in miſericordia tua ſperaui. Exultauit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: * & pſallam nomini Domini Altiſsimi.

*Antiph.* Factum eſt cor meũ tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. *Verſ.* Poſuit me deſolatam. *Reſp.* Tota die mœrore confectam. Pater noſter. *Abſ.* Exaudi Domine. *Verſ.* Iube domne. *Benedictio.* Benedictione perpetua.

De Iſaia Propheta.

*Lectio I.* *Cap.* 53.

QVis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum. Deſpectum, & nouiſsimum virorũ, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eũ. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus:

*Reſp.* Dilectus meus candidus & rubicundus, & totus deſiderabilis: * Omnis enim figura eius amorem ſpirat, & ad redamandum prouocat caput inclinatum, manus expanſæ, pectus apertum. *Verſ.* Pijs ò Virgo, ſpectas eum oculis, contemplans in eo non tam vulnerum liuorem, quam mũdi ſalutẽ. Omnis enim. *Benedictio.* Vnigenitus Dei Filius.

*Lectio II.*

OMnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrũ. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & nõ aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt: generationẽ eius quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viuentiũ: propter ſcelus populi mei percuſsi eũ. Et dabit impios pro ſepultura, & diuitẽ pro morte ſua: eo quod iniquitatem

non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.

*Reſp.* Manus eius tornatiles, clauorũ cuſpide terebratæ: * Humanæ ſalutis pretio quaſi hyacinthis refertæ. *Verſ.* Cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius: ſunt enim manus eius. Humanæ ſalutis. *Benedictio.* Spiritus ſancti gratia.

*Lectio III.*

ET Dominus voluit conterere eum in infirmitate ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: in ſciẽtia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cũ ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.

*Reſp.* Diligebat Ieſus Ioannẽ, quoniã ſpecialis prærogatiua caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum: * Quia virgo electus ab ipſo virgo in æuum permanſit.

*Verſ.* In Cruce denique moriturus huic matrem virginẽ virgini comẽdauit. Quia virgo. Gloria Patri. Quia virgo.

*In ſecundo Nocturno.*

*Antiph.* Inimici mei dixerũt mala mihi: Quãdo morietur, & peribit nomen eius.

*Pſalmus. 40.*

BEatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: * in die mala liberabit eũ Dominus: Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: * & non tradat eum in animã inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: * vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.

Ego dixi: Domine miſerere mei. * ſana animam meã, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: * Quando morietur, & peribit nomen eius.

Et ſi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur, * cor eius congregauit iniquitatẽ ſibi.

Egrediebatur foras, * & loquebatur in idipſum

Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: * aduerſũ me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me. * Nũquid qui dormit, non adijciet vt reſurgat?

Etenim

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui: * qui edebat panes meos, magnificauit ſu-me ſupplantationem.
Tu auté Domine miſerere mei, & reſuſcita me: * & retribuam eis.
In hoc cognoui, quoniam voluiſti me: * quoniã non gaudebit inimicus meus ſuper me.
Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: * & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum:
Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo, & vſque in ſæculum: * fiat, fiat.
*Antiph.* Inimici mei dixerũt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen eius.
*Antiph.* Deus, vitam meam annuntiaui tibi, poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

*Pſalmus.* 55.

MIſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: * tota die impugnans tribulauit me.
Conculcauerunt me inimici mei tota die: * quoniã multi bellantes aduerſum me.
Ab altitudine diei timebo: * ego verò in te ſperabo.
In Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperaui: * non timebo quid faciat mihi caro
Tota die verba mea execrabantur: * aduerſum me omnes cogitationes eorum, in malum.
Inhabitabunt, & abſcõdent: * ipſi calcaneum meum obſeruabunt.
Sicut ſuſtinuerunt animam meam, pro nihilo ſaluos facies illos: * in ira populos cõfringes.
Deus, vitam meam annuntiaui tibi: * poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo,
Sicut & in promiſsione tua: * tunc conuertentur inimici mei retrorſum.
In quacumque die inuocauero te: * ecce cognoui quoniã Deus meus es.
In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermoné: * in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo.
In me ſunt Deus vota tua: * quæ reddam laudationes tibi
Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu, * vt placeam coram Deo in lumine viuentium.
*Antiph.* Deus, vitam meam annuntiaui tibi: poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.
*Antiph.* Filij hominũ: dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

*Pſalmus.* 56.

MIſerere mei Deus, miſerere mei: * quoniam in te

te confidit anima mea.
Et in vmbra alarum tuarum ſperabo: * donec tranſeat ini quitas.
Clamabo ad Deũ Altiſsimũ:* Deũ qui benefecit mihi.
Miſit de cælo, & liberauit me; * dedit in opprobrium conculcantes me.
Miſit Deus miſericordiam ſuam,& veritatem ſuam * & eripuit animam meã de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus.
Filij hominum, dentes eorũ arma & ſagittæ:& lingua eorum gladius acutus.
Exaltare ſuper cælos Deus:* & in omnẽ terrã gloria tua.
Laqueum parauerunt pedibus meis.* & incuruauerunt animam meam.
Foderunt ante faciem meam foueã: * & inciderunt in eã.
Paratum cor meum Deus,paratum cor meum: * cantabo & pſalmum dicam.
Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara:* exurgam diluculo.
Confitebor tibi in populis Domine: * & pſalmum dicã tibi in Gentibus.
Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia tua: * & vſque ad nubes veritas tua.
Exaltare ſuper cælos Deus:* & ſuper omnen terram gloria tua

*Antiph.* Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ:& lingua eorũ gladius acutus.
*Verſ.* Facies mea intumuit à fletu. *Reſp.* Et palpebræ meæ caligauerunt. Pater noſter.
*Abſolut.* Ipſius pietas. *Verſ.* Iube domne. *Benedictio.* Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

*Ex Serm. de 12. ſtellis.*

*Lectio IIII.*

MArtyriũ Virginis tàm in Simeonis prophetia, quàm in ipſa Dominicæ paſsionis hiſtoria commẽdatur. Poſitus eſt hic(ait ſanctus ſenex de paruulo Ieſu)in ſignum cui contradicetur,& tuam ipſius animam(ad Mariam autem dicebat) pertranſibit gladius. Verè tuã, ò beata mater,animã gladius pertranſiuit. Alioquin non niſi eam pertranſiens,carnem Filij tui penetraret. Et quidem poſteà quam emiſit ſpiritum tuus ille Ieſus,Ipſius planè nõ attigit animam crudelis lancea,quæ ipſius aperuit latus, ſed tuam vtique animam pertranſiuit. Ipſius nimirum anima iam ibi non erat, ſed tua planè inde nequibat auelli.

*Reſp.* Tenebræ factæ ſunt,cũ crucifixiſſent Ieſum Iudæi:& circa

circa horam nonam exclamauit Ieſus voce magna: Deus meus, vt quid dereliquiſti me? * Et inclinato capite emiſit ſpiritū. *Verſ.* Quis tibi nunc ſenſus, dum cernis talia, Virgo? Et inclinato capite. *Benedictio.* Chriſtus perpetuæ.

*Lectio. V.*

TVam ergo pertranſiuit animam vis doloris, vt pluſquam matyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſsionis exceſſerit compaſsionis affectus. An non tibi pluſquam gladius fuit ſermo ille, reuera pertranſiens animam, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Ieſu traditur, ſeruus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo nō tuā affectuoſiſsimam animā pertranſiret hæc auditio, quando & noſtra licet ſaxea, licet ferrea pectora ſola recordatio ſcindit?

*Reſp.* Paſsio Domini. * Ipſam eius matrem carnali orbitate grauiter percuſſam, vehementiſsimè contriſtauit. *Verſ.* Ferrum lanceæ militaris latus quidem Saluatoris, animam verò tranſiuit Virginis matris. Ipſam eius matrem. *Benedictio.* Ignem ſui amoris.

*Lectio. VI.*

NOn miremini, fratres, quòd Maria martyr in anima fuiſſe dicatur. Miretur qui non meminerit ſe audiſſe Paulū inter maxima Gentium crimina memorantē, quod ſine affectione fuiſſent. Longe id fuit a Mariæ viſceribus, lōge ſit à ſeruulis eius. Sed fortè quis dicat: Nū quid non eum præſciebat moriturum? Et indubitanter. Nū quid non ſperabat continuò reſurrecturum? Et fidenter. Super hęc doluit crucifixū? Et vehementer. Alioquin quiſnam tu frater, aut vnde tibi hæc ſapientia, vt mireris plus Mariam compatiētē, quam Mariæ Filiū patiētem? Ille etiam mori corpore potuit; iſta commori corde nō potuit? Fecit illud charitas, qua maiorē nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit.

*Reſp.* Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, & inhærendo lateri tuo, vt ſanguis tuus ſanguinem meum tangat & tergat, * vt fons aquæ, tuæ de ſcaturigine recti cordis, per

venas boni operis, in finem æternę feſiciratis exiliat? *Verſ.* Filij tui de longè venient, & filię tuæ de latere ſurgent. Vt fons. Gloria Patri. Vt.

*In tertio Nocturno.*

*Antiph.* Intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum.

*Pſalmus.* 63.

EXaudi Deus orationem meam cum deprecor: * à timore inimici eripe animam meam.

Protexiſti me à cõuentu malignantium: * à multitudine operantium iniquitatem,

Quia exacuerunt vt gladium linguas ſuas: * intenderunt arcũ rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatũ.

Subito ſagittabunt eum, & non timebunt:* firmauerunt ſibi ſermonem nequam,

Narrauerunt vt abſcõderent laqueos:* dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati ſunt iniquitates:* defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.

Accedet homo ad cor altũ;* & exaltabitur Deus.

Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum: * & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati ſunt omnes qui videbant eos:*& timuit omnis homo.

Et annunciauerũt opera Dei: & facta eius intellexerunt.

Lætabitur iuſtus in Domino,& ſperabit in eo,*& laudabuntur omnes recti corde.

*Antiph.* Intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum. *Antiph.* Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.

*Pſalmus.* 87.

DOmine Deus ſalutis meæ in die clamaui, & nocte coram te.

Intret in cõſpectu tuo oratio mea: * inclina auream tuam ad precem meam.

Quia repleta eſt malis anima mea: * & vita mea inferno appropinquauit.

Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: * factus ſum ſicut homo ſine adiutorio: inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius: * & ipſi de manu tua repulſi ſunt.

Poſuerunt me in lacu inferiori: * in tenebroſis, & vmbra mortis.

Super me confirmatus eſt furor tuus: * & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.

Longe feciſti notos meos à me: * & poſuerunt me abomina

minationem ſibi.
Traditus ſum, & nõ egrediebar, * oculi mei languerunt præ inopia.
Clamaui ad te Domine tota die: * expandi ad te manus meas.
Numquid mortuis facies mirabilia: * aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?
Numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam: * & veritatem tuam in perditione?
Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua: * & iuſtitia tua in terra obliuionis?
Et ego ad te Domine clamaui: * & mane oratio mea prę ueniet te.
Vt quid Domine repellis orationem meam: * avertis faciem tuam à me?
Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentutę mea: * exaltatus autem, humiliatus ſum, & conturbatus.
In me tranſierunt iræ tuæ: * & terrores tui conturbauerunt me.
Circumdederunt me ſicut aqua tota die: * circumdederunt me ſimul.
Elongaſti à me amicum & proximum: * & notos meos à miſeria.
*Antiph.* Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.
*Antiph.* Repleuit me amaritudine, inebriauit me abſynthio.

*Pſalmus.* 108.

DEus laudem meam ne tacueris: * quia os peccaris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.
Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me: * & expugnauerunt me gratis
Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: * ego autem orabam.
Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis: * & odiũ pro dilectione mea.
Conſtitue ſuper eum peccatorem: * & diabolus ſtet à dextris eius.
Cum iudicatur, exeat condẽnatus: * & oratio eius fiat in peccatum.
Fiant dies eius pauci: * & epiſcopatum eius accipiat alter.
Fiant filij eius orphani: * & vxor eius vidua.
Nutantes transferantur filij eius, & mendicent: * eijciantur de habitationibus ſuis.
Scrutetur fœnerator omnẽ ſubſtantiam eius; * & diripiant alieni labores eius.
Non ſit illi adiutor: * nec ſit qui miſereatur pupillis eius.

Fiant

Fiant nati eius in interitũ: * in generatione vna deleatur nomen eius.
In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini: * & peccatum matris eius non deleatur.
Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum: * pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam.
Et perſecutus eſt hominem inopem, & mendicũ, * & cõpunctum corde mortificare.
Et dilexit maledictionem, & veniet ei & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.
Et induit maledictionẽ ſicut veſtimentum, * & intrauit ſicut aqua in interiora eius & ſicut oleũ in oſsibus eius.
Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur, * & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.
Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominũ: * & qui loquuntur mala adverſus animam meam.
Et tu Dñe, Domine, fac mecũ propter nomẽ tuũ: * quia ſuauis eſt miſericordia tua.
Libera me, quia egenus & pauper ego ſum: * & cor meũ conturbatum eſt intra me.
Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum: * & excuſus ſũ ſicut locuſtæ.
Genua mea infirmata ſunt à ieiunio: * & caro mea immutata eſt propter oleum.
Et ego factus ſum opprobriũ illis: * viderunt me, & mouerunt capita ſua.
Adiuua me Domine Deus meus: * ſaluum me fac ſecundum miſericordiam tuam.
Et ſciant quia manus tua hæc: * & tu Dñe feciſti eam.
Maledicent illi, & tu benedices: * qui inſurgunt in me, confundantur: ſeruus autem tuus lætabitur.
Induantur qui detrahunt mihi, pudore: * & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.
Confitebor Domino nimis in ore meo: * & in medio multorum laudabo eum.
Quia aſtitit à dextris pauperis, * vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.
*Antiph.* Repleuit me amaritudine, & inebriauit me abſynthio.
*Verſ.* Deus, vitam meam annũtiaui tibi. *Reſp.* Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.
Pater noſter. *Abſolutio.* A vinculis. *Verſ.* Iube domne. *Benedictio.* Evangelica lectio.
Lectio ſancti Evangelij ſecundum Ioannem.

*Lectio III.* *Cap.*

IN illo tempore: Stabant iuxta Crucẽ Ieſu mater eius, &

& ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſc.

*Tract. 129. in Ioan.*

HÆc nimirum eſt illa hora, de qua Ieſus aquam conuerſurus in vinum, dixerat matri: Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quę tunc nondum venerat, in qua deberet agnoſcere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo diuina facturus non diuinitatis, ſed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat. Nunc autẽ humana iam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano: moralis igitur inſinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos miniſtros inſtruxit præceptor bonus, vt à filijs pijs impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud, vbi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis.

*Reſp.* Doleo ſuper te fili mi Ieſu, decorus nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum: * Sicut enim mater vnicum diligit filium, ita ego te diligebam. *Verſ.* Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Sicut. *Benedictio.* Cuius feſtum colimus.

*Lectio VIII.*

EX hac ſana doctrina didicerat Paulus Apoſtolus, quod docebat, quando dicebat: Si quis autem ſuis, & maxime domeſticis non prouidet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Quid autem tam cuique domeſticum, quã parentes filijs, aut parentibus filij. Huius itaque ſaluberrimi præcepti ipſe Magiſter Sanctorum de ſe ipſo conſtituebat exemplum, quando non vt famulæ Deus, quam creauerat & regebat, ſed vt matri homo, de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterã pro ſe quodammodo filium prouidebat.

*Reſp.* Eia mater fons amoris, fac nos ſentire vim doloris, vt tecum lugeamus. * Et Dominicæ paſsionis fructum ſẽtiamus. *Verſ.* Vt ſicut Filius tuus Ieſus pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit: ita, & nos commortui cũ eodem reſurgamus. Et Dominicæ. Gloria Patri. Et Dominicæ

Te Deum laudamus.

*Lect. IX. Fer. cur.*

## AD LAVDES.

*& per Horas. Ana.*

Vadam ad montem myrrhæ,

rhæ;& ad collem thuris. *Pſa.* Dominus regnauit. *Cum reliquis de Dominica. Antiph.* Dilectus meus candidus, & rubicundus, comæ capitis eius ſicut purpura Regis vincta canalibus. *Antiph.* Quò abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierũ? Quò dilectus tuus declinauit? *Antiph.* Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Antiph.* Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

*Capitulum. Iſaiæ 53.*

QVis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.

*Hymnus.*

VIrgo virginũ præclara,
Mihi iam non ſis amara,
Fac me tecũ plangere.
Fac vt portẽ Chriſti mortẽ,
Paſsionis eius ſortem,
Et plagas recolere,
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari
Ob amorem Filii.
Inflammatus, & accenſus,
Per te Virgo ſim defenſus
In die iudicij.
Fac me Cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri,
Confoueri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur
Paradiſi gloria, Amen.

*Verſ.* Ora pro nobis Virgo doloroſiſsima. *Reſp.* Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

*Ad Benedictus, Antiph.* Cum vidiſſet Ieſus matrem ſtantem iuxta Crucem, & diſcipulum quem diligebat, dicit matri ſuæ; Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.

*Oratio.*

DEus, in cuius paſsione, ſecundum Simeonis prophetiam, dulciſsimam animam glorioſæ virginis, & matris Mariæ doloris gladius pertranſiuit: cõcede propitius; vt qui transfixionẽ eius, & paſsionẽ venerando recolimus, glorioſis meritis, & precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter aſtantium intercedentibus, paſsionis tuæ effectum felicem conſequamur. Qui viuis & regnas.

*Et fit commemor. Feriæ.*

*Ad Primam. Antiph.* Vadam ad montem. *Reſ.* Criſte fili. *Verſ.* Qui paſſus es pro homine.

*Ad Tertiam. Antiph.* Dilectus meus. *Capitulum.* Quis credidit, vt ſuprà. *Reſp.* Poſuit me,* Deſolatam. Poſuit. *Verſ.* Tota die mœrore confectam

fectam. Deſolatam. Gloria Patri. Poſuit. *Verſ.* Facies mea intumuit à fletu. *Reſp.* Et palpebræ meæ caligauerunt.

*Ad Sextam. Antiph.* Quo abiit.

*Capitulum. Iſaiæ* 53.

IPſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.

*Reſp.* Facies mea, * Intumuit à fletu. Facies mea. *Verſ.* Et palpebræ meæ caligauerunt. Intumuit. Gloria Patri. Facies mea. *Verſ.* Deus, vitam meam annuntiaui tibi. *Reſp.* Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

*Ad Nonã. Añа.* Fulcite me floribus.

*Capitulum. Iſaiæ* 53.

GEnerationem eius quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum.

*Reſp.* Deus, vitam meam, * Annuntiaui tibi. Deus vitã meam. *Verſ.* Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. Annuntiaui. Gloria Patri. Deus, vitam meam. *Verſ.* Ora pro nobis Virgo doloroſiſſima. *Reſp.* Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

*In ſecundis Veſperis omnia vt in primis.*

*Ad Magnificat. Aña.* Cum vidiſſet Ieſus matrem ſtantem iuxta Crucem, & diſcipulum quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.

*Et ſit commemor. Feriæ.*

*Aña.* Principes Sacerdotum conſilium fecerunt vt Ieſum occiderent: dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo. *Verſ.* Eripe me Domine ab homine malo. *Reſp.* A viro iniquo eripe me.

*Oratio.*

COncede, quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus, ſecura tibi mente ſeruiamus. Per Dominum noſtrum.

*Miſſa habetur propria, & Sequentia quæ incipit:* Stabat mater doloroſa *dicitur hodie tantum non in Miſsis votiuis: ex Decreto iam citato.*

---

## DIE V. APRILIS.

In feſto Sancti Vincentij Ferrerij. Cõfeſ. Semid. ad libit.

*Omnia de Communi Confeſ. non Pontif. præter Orationem, &*

*& Lectiones ſecundi Nocturni.*

*Oratio.*

DEus, qui Eccleſiam tuam beati Vincentij Confeſſoris tui meritis & prædicatione illuſtrare dignatus es: concede nobis famulis tuis, vt & ipſius inſtruamur exemplis, & ab omnibus eius patrocinio liberemur aduerſis. Per Dominum noſtrum.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurente. Si veniat in Quadrageſima.* Beatus vir, *de Communi Confeſ. non Pontif.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

VIncentius honeſta ſtirpe Valentiæ in Hiſpania natus, ab ineunte ætate cor geſsit ſenile. Qui dum caliginoſi huius ſæculi labilem curſum pro ingenij ſui medulo conſideraret, Religionis habitum in Ordine Prædicatorũ decimo octauo ætatis ſuæ anno ſuſcepit: & emiſſa ſolemni profeſsione, ſacris litteris ſedulò incũbens, Theologiæ lauream ſumma cum laude cõſecutus eſt. Mox obtẽta à Superioribus licentia, verbũ Dei prædicare, Iudæorum perfidiam arguere, Saracenorum errores confutare tanta virtute, & efficacia cœpit, vt ingentem ipſorum infidelium multitudinem ad Chriſti fidem perduxerit, & multa Chriſtianorum millia à peccatis ad pœnitentiam, à vitijs ad virtutem reuocarit. Electus enim à Deo vt monita ſalutis in omnes gentes, tribus, & linguas diffunderet & extremi tremendique iudicij diem appropinquare oſtenderet; omnium auditorũ animos terrore concuſſos, atque à terrenis affectibus avulſos, ad Dei amorẽ excitabat. *Reſp.* Honeſtum fecit.

*Lectio V.*

IN hoc autem Apoſtolico munere hic vitæ eius tenor perpetuus fuit. Quotidie Miſſam ſummo mane cũ cantu celebrauit, quotidie ad populum concionem habuit: inuiolabile ſemper ieiunium, niſi vrgens adeſſet neceſsitas, ſeruauit; ſancta & recta conſilia nulli denegauit; carnes nũquam comedit, nec veſtem lineam induit; populorum iurgia ſedavit, diſsidentia regna pace compoſuit: & cum veſtis inconſutilis Eccleſiæ diro ſchiſmate ſcinderetur, vt vniretur, & vnita ſeruaretur, plurimum laborauit. Virtutibus omnibus claruit, ſuoſque detractores, & perſecutores, in ſimplicitate, & humilitate ambulans, cum manſuetudine recepit, & amplexus eſt.

*Reſp.*

Reſp. Amauit eum.

*Lectio VI.*

PEr ipſum diuina virtus, in confirmationem vitæ, & prædicationis eius, multa ſigna & miracula fecit. Nam frequentiſsimè ſuper ægros manus impoſuit, & ſanitatẽ adepti ſunt: ſpiritus immundos è corporibus expulit: ſurdis auditum, mutis loquelam, cæcis viſum reſtituit; leproſos mundauit, mortuos ſuſcitauit. Senio tandem, & morbo confectus infatigabilis Euangelij præco, plurimis Europæ prouincijs cum ingenti animarum fructu peragratis, Venetiæ in Britannia minori prædicationis & vitæ curſum feliciter conſummauit, anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo decimo nono, quem Calixtus Tertius Sanctorum numero adſcripſit.

*Reſp.* Iſte homo perfecit.

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangelium* Sint lumbi veſtri præcincti. *de Communi Confeſ. non Pontif.*

*Miſſa:* Os iuſti. *Cum Oratione propria.*

---

*LIMÆ ET IN DIÆceſi.*



## DIE XXVII. APRILIS.

In feſto B. Thuribij Archiepiſcopi Limani ſemid.

*Omnia de Communi Confeſ. Pontif. præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.*

*Oratio.*

ECcleſiam tuam, Domine, Beati Thuribij Confeſſoris tui, atque Pontificis continua protectione cuſtodi: vt ſicut illum Paſtoralis ſolicitudo glorioſum reddidit, ita nos eius intercesſio in tuo ſemper faciat amore feruentes. Per Dominum &c.

### IN I. NOCTVRNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

### IN II. NOCTVRNO.

*Lectio IIII.*

THuribius Alphonſus ex nobili Mogroueja gente Maiorgæ in Regno Legionis natus, liberalibus diſciplinis, & Iuri Canonico Valliſoleti primum, deinde Salmanticæ in Maiori Collegio Ouetenſi Sancti Salvatoris, ita operam dedit, vt tamen potiorem temporis partem orationi, alijſque pijs, & chriſtianis exercitijs impẽderet. Id comprobatum eſt, cum immiſſā in eius cubiculū inpudicā mulierē, præcipuus virginitatis ſectator conſtanti

ſtanti animo extemplo expulit: ind: ieiunijs, vigilijs, & proprij corporis caſtigatione continuo vitam exercuit, & nudis quoque pedibus Cōpoſtellam ad Sancti Iacobi ſepulchrum peregrinatus eſt.

*Lectio V.*

A Gregorio Decimo Tertio Limanæ Eccleſiæ ex Quæſtore fidei inuitus præficitur: quo in munere Apoſtolicam ſollicitudinem in noua Chriſtianitate, vel ſolidanda, vel amplianda adhibens, perfecti Præſulis partes expleuit: Quare ſingulis Dominicis diebus, vel in Eccleſia, vel in Hoſpitali domo, in paruis etiam Oppidulis, & ſub dio concionabatur, plebemque catechiſmo inſtruebat. Synodos etiam Diœceſanas, & Prouincialia Concilia iuxtà Tridentini ſtatuta habuit, & in eis complura decreta, poſteà à Sede Apoſtolica confirmata, condita ſunt, quibus modò Eccleſia Americana regitur. Hinc morum emendatio, Cleri diſciplina, iuuenum ſeminaria, virginū, ac malè nuptarum cœnobia: ægrotorum xenodochia aliæque Ædes, & Templa, eius etiam ſumptu cōſtructa emanarunt.

*Lectio VI.*

Diœceſim ſuam, ampliſſimam quidem, incredibili labore totam ſæpè viſitauit, omneſque penè Eccleſiæ ſuæ prouentus in pauperum vſus; quos creditores ſuos vocabat erogauit, quingentis, vt ferunt, hominum millibus ſacro Chriſmate vnctis: innumeras contradictiones, ſiue ab ijs, qui foris ſunt, propter fidem, ſiue ab ijs, qui intra, propter Eccleſiæ libertatem, ſummà patientia ſuſtinens, acritèr defendit, Martyrij cupidiſſimus. Tandem ſacerdotio, & miraculis clarus, quæ etiam poſt mortē, ipſius ſanctitatem comprobarunt, dum propriæ diœceſis viſitationi incumberet, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, ætatis ſuæ ſexageſimo octauo, ſumpto in Eccleſia Sacro Viatico ad mortis nuncium exclamans: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, die vigeſima tertia Martij obdormiuit in Domino, quem Innocentius Vndecimus in Beatorū numerum retulit, aſſignata eius feſtiuitati die vigeſima ſeptima Aprilis.

IN III. NOCTVRNO.

*Homil. in Evang.* Homo peregrè proficiſcens. *Vt in Comm. Conf.*

*Confeſſoris Pontificis.*
Miſſa *Statuit ei Dominus* de Comm. Conf. Pontif. vt in Miſſali. Vel de S. Carolo 4. Nouemb. Mutato nomine.

## DIE IIII. MAII

### In feſto Sanctę Monicæ Viduæ. Matris S. Auguſtini Semid.

*Omnia de Communi Sanctarum nec Virginum nec Martyr præter ea quæ hic habentur propria.*

*Oratio.*

DEus mœrentium conſolator, & in te ſperantiũ ſalus, qui beatæ Monicæ pias lacrymas in conuerſione filij ſui Auguſtini, miſericorditer ſuſcepiſti: da nobis vtriuſque interuentu peccata noſtra deplorare, & gratiæ tuæ indulgentiam inuenire. Per Dominum noſtrum.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura ocurrente.*

### IN II. NOCTVRNO.

*Lectio IIII.*

MOnica, ſancti Auguſtini dupliciter mater, quia eum & mundo & cælo peperit, marito mortuo, quẽ ſenectute confectũ Ieſu Chriſto conciliauit, caſtam & operibus miſericordiæ exercitã viduitatẽ agebat: in aſsiduis verò ad Deum orationibus pro filio, qui in Manichæorũ ſectam inciderat, lacrymas effundebat: quem etiam Mediolanum ſecuta eſt: vbi ipſũ frequenter hortabatur, vt ad Epiſcopum Ambroſium ſe conferret. Quod cum ille feciſſet, eius & publicis concionibus, & priuatis colloquijs Catholicæ fidei veritatem edoctus, ab eodem baptizatus eſt.

*Reſp.* Propter.

*Lectio V.*

MOx in Africam redeuntes, cum ad Oſtia Tiberina conſtitiſſet, incidit in febrem. Quo in morbo, cum eam quodam die anima defeciſſet, vt ſe collegit, vbi, inquit, eram? Et aſtantes intuens, Ponite hic matrem veſtram, tantũ vos rogo, vt ad altare Domini memineritis mei. Nono autẽ die beata mulier animã Deo reddidit. Eius corpus ibi in Eccleſia ſanctæ Aureæ ſepultum eſt: quod poſteà Martino Quinto Summo Pontifice Romam translatum, in Eccleſia ſancti Auguſtini honorifice conditum eſt.

*Reſp.* Dilexiſti.

*Lectio. VI.*

*Ex lib. 9. confeſ. cap. 12.*

SVbdit verò Auguſtinus, de

de matris morte diſſerens: Neque enim decere arbitrabamur funus illud quæſtubus lacrymoſis, gemitibuſque celebrare, quia illa nec miſere, nec omninò moriebatur: hoc & documentis morum eius, & fide non ficta, rationibuſque certis tenebamus. Atque inde paulatim reducebam in priſtinum ſenſum ancillam tuam, conuerſationémque eius piam in te, & ſanctam, in nos blandam, atque morigeram, qua ſubitò deſtitutus ſum, & libuit flere de illa, & pro illa; & ſi quis peccatum inuenerit, fleuiſſe me matrem meam exigua parte horæ, matrem oculis meis mortuam, quæ me multos annos fleuerat, vt oculis ſuis viuerem, non irrideat, ſed potius, ſi eſt grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipſe ad te Patrem omnium fratrũ Chriſti tui.

*Reſp.* Fallax gratia.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelii ſecundùm Lucam.

*Lectio VII.* *Cap. 7. b.*

IN illo tempore: Ibat Ieſus in Ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Et reliqua.

Homilia ſãcti Auguſtini Epiſ *Sermon. 44. de Verb. Domini.*

DE iuuene illo reſuſcitato gauiſa eſt mater vidua: de hominibus in ſpiritu quotidiè ſuſcitatis gaudet mater Eccleſia. Ille quidem mortuus erat corpore: illi autem mente. Illius mors viſibilis viſibiliter plangebatur: illorum mors inuiſibilis nec quærebatur, nec videbatur. Quæſiuit ille, qui nouerat mortuos. Ille ſolus nouerat mortuos, qui poterat facere viuos. Niſi enim ad mortuos ſuſcitandos veniſſet, Apoſtolus non diceret: Surge qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus.

*Reſp.* Os ſuum.

*Lectio VIII.*

TRes autem mortuos inuenimus, à Domino reſuſcitatos viſibiliter, millia inuiſibiliter. Quot autẽ mortuos viſibiliter ſuſcitauerit, quis nouit? Non enim omnia, quæ fecit, ſcripta ſunt. Ioannes hoc dixit: Multa alia fecit Ieſus, quæ ſi ſcripta eſſet, arbitror totum mundum nõ poſſe libros capere. Multi ergo ſunt alij ſine dubio ſuſcitati, ſed non tres fruſtra commemorati. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus ea quæ faciebat corporaliter, etiam ſpiritaliter volebat intelligi.

Ne-

Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat, ſed vt illa, quæ faciebat, mira eſſent videntibus, vera eſſent intelligentibus.

*Lectio IX.*

QVemadmodū qui videt litteras in codice optimè ſcripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinē: ſed quid ſibi velint, quid indicent illi apices, neſcit, & eſt oculis laudator, mente non cognitor, Alius autem & laudat artificium, & capit intellectum: ille vtique, qui non ſolum videre quod commune eſt omnibus poteſt, ſed etiam legere quod qui non didicit, non poteſt. Ita qui viderunt Chriſti miracula, & non intellexerunt quid ſibi vellent, & quid intelligentibus quodammodo innuerent, mirati ſunt tantum quia facta ſunt: alij verò & facta mirati, & intellecta aſſecuti. Tales nos in ſchola Chriſti eſſe debemus.

Te Deum laudamus.

*Miſſa, quæ habetur in Miſſali Romano. Oratio vt ſupra.*

---

## DIE V. MAII.

### In feſto Coronæ Domini Duplex.

*Ad Veſperas Antiph.*

MIlites Præſidis. *cum reliq. de Laudib. vt infra. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica: & loco vltimi Pſalm.* Laudate Dominū omnes gentes.

*Capitulum.* *Cant. 3.*

EGredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

*In vtriſque Veſperis.*

*Hymnus.*

LAuda fidelis concio
Spinæ trophæū inclytum
Per quam perit perditio,
Vitæque datur meritum.

Nos à puncturis liberat
Æterni Patris Filius,
Dum Spinis pungi tolerat
Spinarum culpæ neſcius.

Cum Spinarum aculeum,
Xptus pro nobis pertulit,
Per Diadema ſpineum
Vitæ coronam contulit.

Plaudat turba fidelium,
Quod per Spinæ ludibriū
Purgat Creator omnium
Spineti noſtri vitium.

Vt ſis perenne mentibus
Paſchale Ieſu gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui a mortuis



Surre-

Surrexit, ac Paraclito,
In ſempiterna ſecula. Amē.
*Verſ.* Tuam Coronam adoramus Domine, allel. *Reſp.* Tuū glorioſum recolimus triumphum, alleluia.

*Ad Magnificat, Antiph.*

Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit: Et milites plectentes Coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum, alleluia, alleluia.

*Oratio.*

PRæſta, quæſumus omnipotens Deus: vt qui in memoriam paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Coronā eius ſpineam veneramur in terris, ab ipſo gloria & honore coronari mereamur in cælis. Qui tecum viuit.

*Ad Matutinum. Inuitatorium.* Chriſtum Regem pro nobis Spinis coronatum. * Venite adoremus, alleluia. *Pſalm.* Venite exultemus. *Hymnus.* Lauda fidelis concio. *Vt ſupra in Veſperis.*

## IN I. NOCTVRNO.

*Antiph.* Maledicta terra in opere tuo; Spinas & tribulos germinabit tibi, alleluia. *Pſal.* Beatus vir. *cum reliquis, vt in feſto Inuentionis Sanctæ Crucis die tertia Maij.*

*Verſ.* Tuam Coronam adoramus Domine, allel. *Reſp.* Tuū glorioſum recolimus triumphum, alleluia.

De Iſaia Propheta.

*Lectio j.* *Cap. 53. art.*

QVis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum: Deſpectum, & nouiſsimum virorū, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vndè nec reputauimus eum. *Reſ.* Ecce vidimus eū non habentem ſpeciem, neque decorem: aſpectus eius in eo non eſt; hic peccata noſtra portauit, & pro nobis dolet; ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: * Cuius liuore ſanati ſumus, alleluia. *Verſ.* Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Cuius.

*Lectio. II.*

VErè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt prop-

ter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit; & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.

*Reſp.* Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuũ tuarũ?* Et dicet: His plagatus ſum in domo eorũ, qui diligebant me, allelu. *Verſ.* Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi. Et dicet.

De Zacharia Propheta.

*Cap. 12. cap. 9. cap. 15. cap. 6. à &c.*

*Lectio III.*

ET erit in die illa: quæram cõterereomnesGẽtes; quę veniunt contra Ieruſalẽ. Et effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precũ: & aſpicient ad me, quẽ confixerunt: & plangẽt eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebũt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti. In die illa magnus erit plãctus in Ieruſalẽ, & dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebãt me. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute paſtorem. & diſpergentur oues, & conuertam manum meam ad parvulos.

*Reſp.* Tuam Coronam ſpineam veneramur Domine, tuam glorioſam recolimus paſsionem:* Miſerere nobis, qui paſſus eſt pro nobis, alleluia. *Verſ.* Salua præſentem cateruam in tuis hodie laudibus congregatam. Miſerere. Gloria Patri. Miſerere.

*In ſecundo Nocturno.*

*Aña.* Pro frumento ortus eſt mihi tribulus, & pro hordeo Spina, allel. *Pſal.* Cum inuocarem. *Pſal.* Verba mea. *Pſal.* Domine Dominus noſter. *Verſ.* Gloria & honore coronaſti eum Domine, alleluia. *Reſp.* Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, allel.

Ex tractatu S. Athanaſij Epiſ. de Paſsione Domini.

*Lectio IIII.* *Tom. 4.*

CVm exueretur Dominus eo ipſo inuiſibiliter erigebatur de diabolo trophæum: & quo illud manifeſtum fieret, narratur à Ioanne, indutum fuiſſe purpura: à Matthæo verò & Marco chlamyde coccinea, Coronã que illi ex Spinis ſuper caput eſſe poſitam, & calamum in

manus datum, & ita cum eũ produxiſſent, genibus flexis adoraſſe. Miraculum nouum & incredibile, & magnæ ſine dubio victoriæ inſigne: quẽ enim vt hominem condemnauerant, eum mortuum deinde vt Deum adorauerunt: & quem aſpernabantur vt vilem & contemptibilem, eum confitebantur Regem: cui tunicam & veſtem detraxerãt, eum purpura circumdederunt: & quem ignorantes cõtumelijs afficiebant, eum Prophetam etiã nolẽtes appellauerunt: & quem per ludibriũ ſubſannationemque pulſabãt ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, & Coronam ſpineã, & calamum. Nam tametſi ea quaſi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen indè, vt ab eo latenter ſpoliarentur. *Reſp.* Corona aurea ſuper caput eius. * Expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis, allel. *Verſ.* Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius Coronam de lapide pretioſo. Expreſſa.

Sermo S. Ambroſij Epiſcopi.

*Serm. 72. qui eſt 19. de ſancto Cypriano.*



VIdeamus diligenter, ne ex palmite operis noſtri non naſcatur dulcedinis vua, ſed fellis; ne dicatur nobis, quod Iudęis dictũ eſt per Prophetam: Suſtinui vt faceret vuam, fecit autem ſpinas; & non iuſtitiam, ſed clamorem. Quam dura conditio, vt poſſeſſio quæ Domino ſuo ſuauitatis fructus afferre debuit, Spinarum illum aſperitate compunxerit: hoc eſt, cũ Iudæi Saluatorem debuerint tota fidei deuotione ſuſcipere, Spinarum eum coronauerunt paſſione. Quæ Corona quidem, quantum in Iudęis eſt, erat iniuriarum contumelia; quantum in Domino, erat Corona virtutum. Compungunt ergo Iudęi Dominum, dum coronant: compungunt, dum crucifigunt. Vndè ait Scriptura ſancta: Videbunt in quem cõpunxerũt. *Reſp.* Omnes amici mei dereliquerunt me, & præualuerunt inſidiantes mihi; tradidit me quem diligebam: * Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes ſubſannabant mihi, allel. *Verſ.* Inter iniquos proiecerunt me, & non pepercerũt animæ meę. Et terribilibus.

*Lectio VI.*

IGitur, fratres, videte ne & nobis dicatur: Suſtinui vt faceret vuam, fecit autem ſpinas: hoc eſt, ne Spinas, quas Domino Iudæi cruentis impoſuerunt manibus, nos iniquis ſenſibus apponamus, & compungamus eum non aſperitate ſentium, ſed operum prauitate. Sunt enim ſpinæ cordis, quæ Verbum Dei etiã vulnerare conſueuerunt, de quibus meminit in Euangelio Saluator, dicens: Seminantis ſemen cecidiſſe inter ſpinas, & creuiſſe eas, ac ſuffocaſſe quod ſatum eſt. Ergo, fratres, videte, ne vinea veſtra nõ vuas ſed ſpinas faciat, ne vindemia veſtra non vinũ afferat, ſed acetum. Quiſquis enim vindemiã legit, & pauperibus non largitur, ille acetum colligit, nõ vinum. Quiſquis meſes recondit, & indigentibus non miniſtrat, iſte non alimoniæ fructus repoſuit, ſed tribulos auaritiæ congregauit. Nam propterea ait Scriptura de terra noſtra: Spinas & tribulos germinabit tibi. *Reſp.* Vinea mea electa, ego te plantaui: * Quomodo conuerſa es in amaritudinẽ, vt me Spinis coronares? allel. *Verſ.* Sepiui te, & lapides elegi ex te, & ædificaui turrim. Quomodo. Gloria Patri. Quomodo.

IN III. NOCTVRNO.

*Antiph.* Grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur Spina, allel. *Pſalm.* Cantate Domino. j. *Pſalm.* Dominus regnauit, exultet terra. *Pſalm.* Cantate Domino. ij. *Reſp.* Eris Corona gloriæ in manu Domini, alleluia. *Verſ.* Et diadema regni in manu Dei tui, allelnia.

Lectio ſancti Euangelij ſecũdum Ioannem.

*Lectio vij.* *Cap.* 19. *a*

IN illo tempore: Apprehendit Pilatus Ieſum: & flagellauit: Et milites plectentes Coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius. Et reliq.

Homilia S. Auguſtini Epiſc.

*Tract.* 116. *in Ioan.*

HOc Pilatus non ob aliud feciſſe credendus eſt, niſi vt eius iniurij Iudæi ſatiati, ſufficere ſibi exiſtimarent, & vſque ad eius mortẽ ſæuire deſiſterent. Ad hoc pertinet quod idem Præſes cohortem ſuam etiam permiſit facere quæ ſequuntur, aut fortaſsis & iuſsit, quamuis hoc Euangeliſta tacuerit: dixit enim quid deinde fecerint milites: Pilatum tamen id iuſsiſſe non dixit.

*Reſp*. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exẽplum, vt ſequamini veſtigia eius. * Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, alleluia. *Verſ*. Qui cũ malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Qui peccatum.

*Lectio VIII.*

ET milites, inquit, plectentes Coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum; & dabant ei alapas. Sic implebantur quæ de ſe prædixerat Chriſtus: ſic martyres informabantur ad omnia, quæ perſecutori libuiſſet facere, perferenda: ſic pauliſper, occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia; ſic regnum, quod de hoc mũdo non erat, ſuperbum mundum non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat: ſic illud granum multiplicandum ſeminabatur horribili contumelia, vt mirabili pullularet in gloria. *Reſp*. Milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem; & exuentes eum, clamydem coccineã circumdederunt ei: * Et plectentes Coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, alleluia. *Verſ*. Genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et plectentes. Gloria Patri. Et plectentes.

*Lectio IX.*

EXijt ergo Ieſus portans Coronam ſpineam, & purpureum veſtimentũ: & dicit eis Pilatus: Ecce homo. Hic apparet non ignorãte Pilato hæc à militibus facta, ſiue iuſſerit ea, ſiue permiſerit, illa ſcilicet cauſa, quam ſupra diximus, vt hæc eius ludibria inimici libentiſsime biberent, & vlterius ſanguinem non ſitirent. Egreditur ad eos Ieſus portans ſpineam Coronam, & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, & dicit eis: Ecce homo. Si Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis. Flagellatus eſt, Spinis coronatus, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris conuicijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt: feruet ignominia, frigeſcat inuidia; ſed non frigeſcit, inardeſcit potius, & increſcit.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES.

*& per Horas. Antiph.*

Mili-

MIlites Præſidis ſuſcipien tes Ieſum in prætoriū, congregauerunt ad eū vniuerſam cohortem, alleluia. *Pſal.* Dominus regnauit. *cū reliq. de Dominica.*

*Aña.* Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, allel. *Aña.* Et plectentes Coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinē in dextera eius, allel. *Aña.* Et genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum, alleluia. *Aña.* Et expuentes in eum, acceperunt arūdinem, & percutiebant caput eius, alleluia.

*Capitulum.* *Cap. 3. d.*

EGredemini, & videte filię Sion Regem Salomonē in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

*Hymnus.*

ÆTerno Regi gloriæ
Deuota laudum cantica
Fideles ſoluant hodie
Pro Corona Dominica.
Coronat Regem omnium
Corona contumeliæ:
Cuius nobis opprobrium
Coronam confert gloriæ.
De Spinarum aculeis
Chriſto Corona plectitur:
Qua miniſtris tartareis
Mundi poteſtas tollitur.
Corona Chriſti capitis
Sacro perfuſo ſanguine
Pœnis ſolutis debitis,
Reos purgat à crimine.
Vt ſis perenne mentibus
Paſchale Ieſu gaudium;
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In ſempiterna ſęcula, Amē

*Verſ.* Dominus regnauit decorem induit, allelu. *Reſp.* Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute, allel.

*Ad Benedictus. Aña.*

Milites induunt Ieſum purpura, & imponunt ei plectentes ſpineam Coronam, & cęperūt ſalutare eum: Aue Rex Iudæorum, alleluia.

*Oratio. Vt ſupra.*

*Ad Tertiam. Aña.* Et exuentes eum. *Capitulum.* Egredimini. *Vt ſupra.*

*Reſp. br.* Tuam Coronam adoramus Domine, alleluia, allel. Tuam Coronam. *Verſ.* Tuū glorioſum recolimus triumphum, alleluia, allel. Gloria Patri. Tuam. *Verſ.* Gloria & honore coronaſti eum Domine alleluia. *Reſp.* Et conſtituiſti eum ſuper opera manuū tuarum, alleluia.

*Ad Sextam. Aña.* Et plectentes Coronam.

*Ioan. in Apocal. cap. 6.*

*Capitulum.*

VEni, & vide: & ecce equ' albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcũ; & data eſt ei Corona, & exiuit vincens, vt vinceret.

*Reſp. br.* Gloria & honore coronaſti eum Domine, allelu. allel. Gloria & honore. *Verſ.* Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, allel. allel. Gloria Patri. Gloria & honore. *Verſ.* Eris Corona gloriæ in manu Domini, allelu. *Reſ.* Et Diadema regni in manu Dei tui, alleluia.

*Ad Nonam Aña.* Et expuentes in eum.

*Capitulum. Iſai. cap. 28. b*

IN die illa erit Dominus exercituum Corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.

*Reſp. br.* Eris Corona gloriæ in manu Domini, allel, allel. Eris Corona. *Verſ.* Et Diadema regni in manu Dei tui, allel. allel. Gloria Patri. Eris Corona. *Verſ.* Dominus regnauit, decorem induit, allel. *Reſp.* Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute, alleluia.

*In Secundis Veſperis omnia vt inprimis.*

*Ad Magnificat. Aña.*

O Coronæ miranda dignitas! mortis pœnas debitas repellis: tu ſpes lapſis, firmitas infirmis, tu reſtauras Coronas perditas, allel. allel.

---

## DIE X. MAII.

Officium proprium S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, & Conf. Ord. Prædic.

Semidup. ad libitum.

*Omnia de Communi Confeſ. Pontif. præter Orationem, & Lectiones, quæ ſequuntur.*

*Oratio.*

SAncti Antonini Domine Confeſſoris tui, atque Põtificis meritis adiuuemur: vt ſicut te in illo mirabilem prædicamus, ita in nos miſericordem fuiſſe gloriemur. Per Dominum, &c.

*In primo Nocturno Lectiones Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

ANtoninus Florentiæ honeſtis parentibus natus ab ipſa iã pueritia egregium futuræ ſanctitatis ſpecimen exhibuit. Annũ agẽs ſextum decimũ, Religionẽ Prædicatorum amplexus, cœpit exinde maximis clarere virtutibus. Otio perpetuum bellum indixit, poſt nocturnum breuem ſomnũ primus matutinis precibus aderat

aderat, quibus perſolutis reliquum tempus noctis orationibus, aut certè lectioni, & ſcriptioni librorum tribuebat; & ſi quando importunior feſsis membris ſomnus obreperet, ad parietem paululùm declinato capite, ac tãtiſper diſcuſſo ſomno, mox ſacras vigilias auidiùs repetebat.

*Lectio V.*

DIſciplinæ regularis ſui ipſius ſeueriſsimus exactor, carnes, niſi in graui ægritudine, nunquam edit. Humi, aut in nudo tabulato cubabat: cilicio ſemper vſus, & interdum zona ferrea ad viuam cutem incinctus: virginitatem integerrimè ſemper coluit. In explicandis cõ ſilijs tantæ dexteritatis fuit, vt communi elogio Antoninus conſiliorum diceretur. Adeò autem in eo humilitas enituit, vt etiam cœnobijs, ac Prouincijs præfectus abiectiſsima Monaſterij officia demiſsiſsimè obiret. Ab Eugenio IV. Florentinus Archiepiſcopus renũciatus, ægerrimè tandem, nec niſi Apoſtolicis minis perterrefactus, vt Epiſcopatum acciperet, acquieuit.

*Lectio VI.*

IN eo munere vix dici poteſt, quantũ prudentia, pietate, charitate, manſuetudine, & ſacerdotali zelo excelluerit. Illud mirandum, tantum ingenio valuiſſe, vt omnes fermè ſcientias per ſe nullo adhibito præceptore abſolutiſsimè didicerit. Tandem poſt multos labores, multis etiam editis inſignis doctrinæ libris, Sacra Euchariſtia, & Vnctione percepta, complexus Crucifixi imaginẽ, mortem lætus aſpexit ſexto nonas Maij milleſimo quadringẽteſimo quinquageſimo nono. Miraculis viuens, & poſt mortem conſpicuus, Sanctorum numero adſcriptus eſt ab Hadriano VI. anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio.

*In tertio Nocturno Homil. in Euang.* Homo peregre proficiſcens, *de communi Confeſſ. Pont. primo loco.*

*Miſſa de Commun. Confeſſ. Pontif.* Statuit.

*Prima orat. prop.* Sancti Antonini Domine, *vt ſupr. reliq. omnia vt in eod. Comm.*

---

DIE XV. MAII.

In Feſto S. Iſidori Agricolæ Conf. Dupl. cum Octaua ad libit. in regnis vtriuſq; Caſtellæ, ex conceſsione

Vrbani VIII. 27. Martij 1625.

*Matriti autem primæ Claſsis cum Octaua.*

*Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter ea quæ ſequuntur*

*Capitulum.* *Iac. cap. 5.*

ECce agricola expectat pretioſum fructum terrę, patienter ferens, donec accipiat temporaneũ, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam aduentus Domini appropinquauit.

*Ad Magnificat. Añ.*

Labores manuum ſuarũ quia manducauit, eſurientem impleuit bonis Dominus Deus noſter, alleluia.

*Oratio*

DA nobis, miſericors Deus, beato Iſidoro agricola Confeſſore tuo intercedente, ſuperbe non ſapere: ſed eius meritis & exemplis placita tibi ſemper humilitate deſeruire. Per Dñm noſtrũ

*In primo Nocturno.*

De Epiſtola beati Iacobi Apoſtoli.

*Lectio I.* *Cap. 5. à 7.*

PAtientes igitur eſtote, fratres, vſque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretioſũ fructum terræ, patienter ferẽs, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam aduetus Domini apropinquauit. Nolite ingemiſcere fratres in alterutrum, vt non iudicemini. Ecce iudex ante ianuam aſſiſtit. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Dñi.

*Lectio II.*

ECce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator. Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare neque per cęlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramẽtum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non: vt nõ ſub iudicio decidatis. Triſtatur aliquis veſtrum? oret. Æquo animo eſt? pſallat. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſię, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

*Lectio III.*

Con-

COnfitemini ergo alterutrum peccata veſtra & orate pro inuicẽ, vt ſaluemini: multum enim valet deprecatio iuſti aſsidua. Elias homo erat ſimilis nobis paſsibilis: & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex. Et rurſum orauit; & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

ISidorus agricola, propè Matritum Hiſpaniæ vrbem, in qua natus fuerat, mercede colendis agris cõductus, breui magnarum ſibi virtutum eo in exercitio vberrimam ſegetem parauit. Admirabilis enim Chriſti ac Sanctorum imitator, numquam ad opus manè ſe conferebat, niſi prius Dei regnum ſtudioſè quæreret, Eccleſiasq́ in ipſius ac Deiparæ honorem dicatas, viſitaret. Quare cum illius moram agri dominus grauiter ferret, atque ex editiore loco quadam die, vt eum liberius increparet, agricolam operiretur; binos Angelos candida veſte, duplici boũ iugo arantes, mediumque inter illos Iſidorum conſpexit: Quo miraculo vulgato, magno deinceps honori, tã apud herum, quàm apud ceteros homines haberi cœpit.

*Lectio V.*

CHaritate in pauperes adeò flagrauit, vt mercedem, quã laboribus parabat, egẽtibus erogaret. Quin etiam cum aliquando ad commune cum reliquis confratribus prandium plurimos pauperes adduxiſſet, nihilque aliud prandio ſcilicet finito, quam pulmenti partem ſibi reſeruatam reperiſſet, illam vir Dei, fide ſingulari fretus, ita diſtribuit, vt admirabiliter aucta ijs omnibus alendis, ſaturãdisque ſufficeret. Illud etiã inter cetera mirandũ, quod per æſtiuos calores, ad extinguendam in agro ſitim, aquæ potum hero flagitante, cum nullibi ſcateret, Iſidorus, ſtimulo, quem gerebat, humo percuſſa, vberem ex ea, & perennem ad hæc vſque tempora fõtẽ elicuit.

*Lectio VI.*

IGitur ſanctitate clarus cũ ad vltimam ſenectutem perueniſſet, obdormiuit in Domino, & in cœmeterio ſancti Andreæ ſepultus, tamdiù ibi iacuit, quoad ciues de ipſius corpore hone-

ſtius in Eccleſia collocando diuinitus moniti illud in loculo integrum, atque adeò incorruptum inuenerunt, vt ex eo ſuauiſsimus odor, qui hac etiam tempeſtate perdurat, efflaret. Sanctum corpus in Eccleſiam translatum, & in editiore loco ſitum, maximis Deus miraculis illuſtrauit. Quorum beneficentiam non ſemel, tam ipſa Matriti ciuitas, quàm etiã cetera Hiſpaniæ loca, ope ipſius implorata, perſenſerunt. Quem poſtremo poſt annos ferè quadringentos, fama ſanctitatis ac miraculis illuſtrem Gregorius decimus quintus in Sanctorũ numerum retulit.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

*Lectio VII* *Cap. 15. à*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego sũ vitis vera: & Pater meus agricola eſt. Et rel.

Homilia S. Gregorij Papæ.

*Lib. 7. Reg. Epiſt. 32.*

PEr ſemetipſum veritas dicit: Pater meus agricola eſt, & omnem palmitem in me nõ ferentem fructum tollet eum, omnẽ verò, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Palmes enim infructuoſus tollitur, quia peccator funditus eradicatur. Palmes vero fructuoſus purgari dicitur, quia per diſciplinam reciditur, vt ad vberiorem gratiã perducatur. Sic enim ſpicarum grana tribulis attrita, ariſtis & paleis mundantur. Sic oliuæ prelo præſæ in olei pinguedinem defluunt. Sic botri vinearũ tunſi calcibus in vinum liqueſcunt. *Lectio VIII.*

*Ex eodẽ Tract. in ſeptem Pſal. Pœnitent. ad 6. Pſalm.*

QVi manet in verbo non fraudatur à regno. Aliter namque fructum facere non poſſumus, niſi in eo maneamus. Ideòque ait: Manete in me, & ego in vobis. Vbi enim manendũ niſi in ipſo? Deficient domus, palatia corruent, deſtruentur ciuitates, ab imis ſedibus turres euellentur, verbum autem Domini manet in æternum: maneamus ergo in eo qui manet in æternum, *Lectio IX.*

NOn ſequamur vanitatem, deſerentes veritatem. nec contriſtemur ſicut ceteri qui ſpem non habent, ſed ſuſtineamus eũ. Et ſi moram fecerit, expectemus, ne contingat nobis,

quod

quod per Prophetam dicitur: Ve his que perdiderunt ſuſtinentiam. Quicumque mundanæ aduerſitatis fractus moleſtijs, diabolicæ tentationis infeſtatione deiectus, à ſpe cæleſtium promiſſionum deciderit, ſuſtinentiæ, quam prius habuerat, mercedem amittet. Qui verò ſuſtinebit magnam reportabit remunerationem. Te Deum laudamus.

AD LAVDES,

*& Tertiam.*

*Capitulum.* Ecce agricola, *vt ſupra in Veſperis.*

*Ad Benedictus. Antiph.* Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, & aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum, alleluia.

*Oratio.*

DA nobis, miſericors Deus, beato Iſidoro agricola Confeſſore tuo intercedente, ſuperbè nō ſapere: ſed eius meritis, & exemplis placita tibi ſemper humilitate deſeruire. Per Dominum noſtrum.

AD SEXTAM.

*Capitulum. Iac. cap. 5.*

ECce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.

AD NONAM.

*Capitulum. Iac. 5.*

MVltum enim valet deprecatio iuſti aſsidua. Elias homo erat ſimilis nobis paſsibilis: & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex. Et rurſum orauit, & cęlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.

*In ſecundis Veſperis. Ad Magnificat. Antiph.* Ecce homo agricola iſte fuit, quoniam Adam exemplum eius ab adoleſcentia ſua, ad ſeruiendũ Deo viuenti, alleluia.

*Extra Matritum ſit commem. S. Vbaldi Epiſc. & Cõfeſ.*

*Miſſa propria: vbi vero non habetur dicatur:* Iuſtus vt palma, *de Communi Confeſ. non Pontif. cum Orat. propria, &* *Euang.* Ego ſum vitis vera. *de Communi mart. Temp. Paſch.*

---

DIE XVI. MAII.

*Secunda die Infraoct.*

*Omnia vt in die, præter ea, quæ ſequuntur.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

Sermo S. Iſidori Epiſcopi.

*Lib. 2. Sententiar. cap. 11.*

*Lec-*

*Lectio IIII.*

PRopterea virtutes Sanctorum ad exemplum noſtrum Deus propoſuit, vt quanto de imitatione eorum conferri poſſunt nobis iuſtitiæ præmia, tãto de perſeuerantia mali ſint grauiora tormenta Si enim ad boni incitamentũ, diuina quibus admonemur præcepta deeſſent, pro lege nobis Sanctorum exempla ſufficerẽt. At contra, dum & nos Deus præceptis ſuis admoneat, & vitæ Sanctorum boni operis nobis exempla proponat, nulla eſt iam de reatu excuſatio.

*Lectio V.*

ET ſi prauorum ſæpè ſecuti ſumus exẽpla, cur, non imitemur Sanctorum digna, & Deo placita facta? Et ſi apti fuimus imitari iniquos in malum, cur pigri ſumus imitari iuſtos in bonũ? Orandus eſt Deus, vt virtutes, quas præparauit Sanctis ad coronam, nobis ad profectum ſint poſitæ, nõ ad pœnã. Proficient autem ad profectum noſtrum, ſi tot exẽpla voluerimus imitari virtutum.

*Ex lib. 3. Sentent. cap. 47.*

*Lectio VI.*

QVantum verò attinet ad rationem, non eſt perſonarum acceptio apud Deũ, qui mundi eligit ignobilia & contemptibilia, & quæ non ſunt; vt ea quæ ſunt deſtrueret: ne glorietur omnis caro, hoc eſt carnalis potẽtia, coram illo. Vnus enim dominus æqualiter & dominis fert conſultum, & ſeruis. Melior eſt ſubiecta ſeruitus, quàm elata libertas; multi enim inueniuntur Deo liberè ſeruientes ſub dominis conſtituti flagitioſis, qui & ſi ſubiecti ſunt illis corpore, prælati tamẽ ſunt mente.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

*Lectio vij.* Cap. 15. à

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego ſũ vitis vera: & Pater meus agricola eſt. Et rel.

De Homilia S. Ioãnis Chryſoſt.

*Homil. 75. in Ioan. cap. 25.*

EGo ſum vitis, vos palmites. Quid vult hæc parabola ſignificare? quod qui non vacat doctrinæ, viuere non poteſt, & quod futura ſigna Chriſti virtute proueniũt. Pater meus agricola eſt, Quid? Auxilio indiget Filius? Abſit: Neque ſic

intelli-

intelligitur Vide quàm diligenter hanc parabolā exequitur:non enim radici,ſed palmitibus agricolæ curam conferre dicit. Radicis autem non alia cauſa hic meminit,quam vt diſcerent ſine ipſius potentia nihil fieri poſſe,& quod ita ipſi fide vniendi ſunt,ſicut palmites viti.

*Lectio VIII.*

OMnem palmitem in me non ferentem fructū, tollet eum Pater. Hic ſignat vitam,oſtendens ſine operibus neminem in ipſo eſſe poſſe: & omnē qui fert fructum purgabit;id eſt,incitabit ad virtutis curam. At qui radix circumfoſſione & cultu primum indiget: ſed nihil de ea nunc dicit, ſed de palmitibus, ſibi ipſi ſē ſufficere oſtendens. Diſcipuli autem multa pręceptoris cura indigent,etiam ſi ſtudioſi ſint, ideo inquit: Omnem cui fert fructum, purgabit eum.

*Lectio nona de ſancto Vbaldo Epiſc. & Conf. niſi venerit in Fer. ij. aut iiij. Rogat. quia tunc erit de Homil. Fer. cum com. ad Laudes.*

Te Deum laudamus.

---

DIE XVII. MAII.

*Tertia die Infraoctauam.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

Sermo S. Auguſtini Epiſc.

*Serm.de 4. Fer. ſiue de cultura agr.Dominici Tom.9.*

*Lectio IIII.*

CÆleſti gratiæ & ſpirituali pluuiæ præparandus eſt ager Eccleſiæ, quia imber diuinus in proximo eſt. Operemur,dilectiſsimi, in iſto agro, quod nobis creditum eſt. Nobis enim datum eſt plantare, rigare, arare, nouellare: ſed Dei eſt incrementum dare. Apoſtolus Paulus Doctor Gentium in fide & veritate per ſemetipſum & operando, & monendo hanc nos docuit Dominicam exercere culturā,dicens: Ego plantaui,Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit;& paulo poſt: Dei enim ſumus cooperarij, Dei agricultura.

*Lectio V.*

IN iſta itaque, fratres,Dominica agricultura in qua nos Dominus operari pręcepit,ſic operemur,vt mercedē promiſſam dono gratiæ accipere mereamur. Tēpus eſt, operemur, laboremus.Quinque illa iuga boū, quæ ille inuitatus in Euangelio,

gelio dum ad cœnam veniſſe renollet, probare ſe velle, dixit, & proptereà à cœna ſe excuſauit, quoniam ſibi ea, non agriculturæ Dominicæ comparauit.

*Lectio VI.*

NOs ea ipſa quinque iuga in agro Dominico iungamus, terram duriſsimam ſulcis ſpiritalibus exaremus, ſemen verbi Dei proijcientes. Quaſcumque ſpinas malarum cupiditatũ inuenerimus, euellamus, eradicemus, diuino igne ſuccendamus, vt in tali opere laborãtes Domino Deo noſtro fiducialiter dicamus: Domine Pater familias, quoniam te adiuuante fecimus opus quod iuſsiſti, redde mercedem, quã promiſsiſti

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

*Lectio VII. Cap. 15. à*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego ſũ vitis vera: & Pater meus agricola eſt. Et rel.

De Homilia S. Ioannis Chryſoſt.

*Homil. 75. in Ioan. cap. 25*

EGo vos purgaui, inquit: Atque ſuperius hoc Patris officium oſtendit: ſed nulla eſt inter Patrem, & Filium differentia, iam veſtra opus eſt diligentia. Inde, ne ſe eorum miniſterij indigentia, ſed vtilitate hoc facere demonſtraret, addit: Sicut palmes non poteſt facere fructum à ſemet ipſo, niſi manſerit in vite: ſic vos niſi in me manſeritis. Vt enim, metu laxato eorũ animo, non diſcederent, eos cohibet, & ſibi cõglutinat, & bonam ſpem habere iubet, radix enim manet. Incidi autem, & auferri palmitum eſt. *Lectio VIII.*

QVi manet in me, & ego in eo. Ecce Filium non minoris eſſe quam Patrem poteſtatis ad diſcipulos excitandos, Pater purgat, Filius in eo manet. Manere enim in radice, facit vt palmites fructum faciãt. Quod ſi non purgatus in vite palmes manſerit, fert quidem fructum, ſed non debitum: qui verò non manet in vite, nihil parit. Verum purgare Filij etiam eſſe oſtenditur, & manere in radice Patris, qui ipſam radicem generauit. Vides quomodo omnia communia ſunt, & purgare, & à radice virtutem habere?

*Lectio IX.*

MIttetur, inquit foras, ne que

que amplius ab agricola curabitur. Et areſcet, hoc eſt, ſi quid habuit à radice, ſi quam gratiam, amittet, & omni inde auxilio & vita ſpoliabitur & tandem in ignem mittetur, ſed non talis qui manet in vite. Inde oſtendit quid ſit in ea manere, inquiens: Si verba mea in vobis manſerint. Vides (quod & ſuperius meritò dicebam) ipſa opera Chriſtum exigere; cum enim dixiſſet: Quodcumque petieritis faciam, addidit: Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Te Deum laudamus.

*Veſperæ à Capitulo de ſancto Venantio martyre, cum commemor. ſancti Iſidori agricolæ.*

---

## DIE XVIII. MAII.

*In feſto ſancti Venantij martyris. Semiduplex.*

*Omnia de Communi Martyrum Tempore Paſchali, præter ea quæ hic ſunt propria.*

*Capitulum.* *Sap. 5.*

STabunt iuſti in magna cõſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum.

*Hymnus.*

MArtyr Dei Venantius,
Lux & decus Camertiũ
Tortore victo & iudice
Lætus triumphũ concinit.
Annis puer, poſt vincula,
Poſt carceres, poſt verbera
Longa fame frementibus
Cibus datur leonibus.
Sed eius innocentiæ
Parcit leonum immanitas,
Pedeſq́ lambunt martyris,
Iræ famiſq́ immemores.
Verſo deorſum vertice
Haurire fumum cogitur:
Coſtas vtrimq́ & viſcera
Succenſa lampas vſtulat.
Sit laus Patri, ſit Filio,
Tibique ſancte Spiritus:
Da per preces Venantij
Beata nobis gaudia. Amen

*Verſ.* Sancti & iuſti in Domino gaudete, alleluia. *Reſp.* Vos elegit Deus in hereditatem ſibi, alleluia.

*Ad Magnificat. Antiph.*

Lux perpetua lucebit ſanctis tuis Domine. & æternitas tẽporum, alleluia.

*Oratio.*

DEus, qui hunc diem beati Venantij martyris tui triumpho conſecraſti: exaudi preces populi tui, & præſta; vt, qui eius merita veneramur, fidei conſtantiam imitemur. Per Dominum noſtrum.

*Ad Matutinum. Inuitatorium.*

Exultent in Domino ſancti, * alleluia.

*Hymnus.*

ATHleta Chriſt nobilis
Idola damnat Gentium:

Dei que amore ſaucius,
Vitæ pericla deſpicit.
Loris reuinctus aſperis
E rupe præceps voluitur:
Spineta vultum lancinant:
Per ſaxa corpus ſcinditur.
Dũ mẽbra raptant martyris,
Languent ſiti ſatellites:
Signo Crucis Venantius
E rupe fontes elicit.
Bellator ò fortiſsime,
Qui perfidis terroribus
E caute præbes poculum,
Nos rore gratiæ irriga.
Sit laus Patri ſit Filio,
Tibique ſancte Spiritus:
Da per preces Venantij
Beata nobis gaudia. Amen

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

VEnantius Camers quindecim annos natus, cum Chriſtianæ Religionis accuſaretur apud Antiochũ, qui ſub Decio Imperatore Camerino præerat, in porta ciuitatis Præſidi ſe obtulit: quẽ ille pollicitationibus ac terroribus diu tentatum flagris cædi, & vinculis aſtringi iuſſit: ſed ijs mirabiliter ab Angelo ſolutus, lampadibus poſteà aduritur, atque inverſo ore fumo ſuppoſito ſuſpenditur. Eius conſtantiam in tormentis demiratus Anaſtaſius Cornicularius; & quod eum ab Angelo iterum ſolutum candida veſte ſupra fumum ambulantẽ vidiſſet, in Chriſtum credidit, & à beato Porphyrio Presbytero cum familia baptizatus, paulò poſt martyrij palmam cum eodem promeruit.

*Lectio V.*

AT Venantius Præſidi ſiſtitur, & ab eo iterum fruſtrà tentatus vt Chriſti fidem desereret, in carcerem conijcitur: quò Attalus præco mittitur, qui ei dicat, ſe quoque Chriſtianum fuiſſe, & ei nomini propterea renũtiaſſe, quòd cognouiſſet inane eſſe fidei commentũ, quo Chriſtiani præſentibus ſe abdicant ob vanam futurorum ſpem. Verum nobilis Chriſti athleta callidi hoſtis inſidias non ignorans, diaboli miniſtrũ à ſe penitus reiecit. Quare ad Præſidem iterum adducto omnes contuſi ſunt dentes, maxillæque confractæ, atque ita cæſus in ſterquilinium deijcitur. Sed inde ab Angelo quoque ereptus, rurſus ſtetit ante iudicem: qui, Venantio adhuc loquente, è tribunali cecidit, & in ea voce, verus eſt Venantij Deus, noſtros deos deſtruite, exclamans expirauit.

*Le-*

*Lectio VI.*

QVod cum Præſidi nuntiatum eſſet, extemplo Venantium leonibus obijci iuſsit; qui naturali feritate omiſſa, ad eius ſe pedes abiecerunt: interim ille populum Chriſti fidem edocebat. Quare inde amotus, iterũ in carcerem traditur. Cumque poſtridie Præſidi referret Porphyrius, ſe per viſum noctũ populos, quos Venãtius aqua tingebat, clariſsima luce fulgentes, ipſum vero Præſidem obſcuriſsima caligine opertũ vidiſſe; Præſes ira incenſus, eum illicò capite plecti imperat: deinde Venantium per loca vepribus & carduis conſita trahi vſque ad veſperam. Is cum ſemianimis relictus eſſet, mane ſe iterum Præſidi præſentauit; cuius iuſſu ſtatim è rupe præcipitatur: ſed inde etiam diuinitus ereptus denuò per loca aſpera ad mille paſſus trahitur: vbi militibus ſiti æſtuantibus, in proxima cõualle, ex lapide, in quo & genuum formam reliquit, ſicut etiam nunc in eius Eccleſia videre licet, Crucis ſigno à Venantio facto, aquæ manarũt. Eo miraculo plures permoti in Chriſtum crediderunt, quos omnes Præſes eo loci vnà cum Venantio capite feriri iuſsit. Eiſ figura & terræ motus eo tempore ita magni fuere, vt Præſes aufugeret: qui paucis tamen poſt diebus, diuinam haud valẽs effugere iuſtitiam, turpiſsimam mortem oppetijt. Chriſtiani interim Venantij, & aliorum corpora honorifico loco ſepelierunt, quæ Camerini in Eccleſia Venãtio dicata condita adhuc ſunt.

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi in Euangelium.* Ego ſum vitis vera *vt in Communi Martyrum Tempore Paſchali.*

## AD LAVDES,

*& per Horas. Añ.*

Sancti tui Domine, *cum reliquis de Communi.*

*Capitulum.*

STabunt iuſti in magna cõſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum.

Hymnus.

DVm nocte pulſa Lucifer
Diem propinquũ nuntiat
Nobis refert Venantius
Lucis beatæ munera.
Nam criminum caliginem
Stygiſque noctem depulit:
Veroque ciues lumine
Diuinitatis imbuit.
Aquis ſacri baptiſmatis
Luſtrauit ille patriam:

Quos tinxit vnda milites,
In aſtra miſit martyres.
Nunc Angelorum particeps,
Adeſto votis ſupplicum:
Procul repelle crimina,
Tuumque lumen ingere:
Sit laus Patri, ſit Filio,
Tibique ſancte Spiritus:
Da per preces Venantii
Beata nobis gaudia. Amen
*Verſ.* Pretioſa in conſpectu Domini, alleluia. *Reſp.* Mors Sanctorum eius, alleluia.

*Ad Benedictus. Aña.*

Filiæ Ieruſalem, venite & videte martyres cum coronis, quibus coronauit eos Dominus in die ſolemnitatis & lætitiæ, allel. allel.

*Oratio.*

DEus, qui hunc diem beati Venantij martyris tui triumpho conſecraſti: exaudi preces populi tui, & præſta; vt qui eius merita veneramur, fidei conſtantiam imitemur. Per Dñm noſtrũ.

*Miſſa.* Protexiſti me Deus. *de eodem Communi, cum Orationibus proprijs.*

*Si autem celebretur poſt Tẽpus Paſch. omnia dicuntur vt in Communi vnius mart. extra Tẽpus Paſch. præter ea quæ hic sũt prop. & in tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangelium.* Si quis venit ad me. *de Communi vnius martyr.*

*Veſperis de ſancto Petro Cœleſtino Papa & Confeſ. cum commem. ſancti Venantij martyris.*

---

## DIE XIX. MAII.

### In Feſto S. Petri Cœleſtini Papæ & Conf. dup.

*Omnia de Communi Confeſſ. Pont. præter ea quæ ſequuntur.*

*Oratio.*

DEus, qui beatum Petrum Cœleſtinum ad ſummi Pontificatus apicem ſublimaſti, quique illum humilitati poſtponere docuiſti: cõcede propitius; vt eius exẽplo cuncta mundi deſpicere, & ad promiſſa humilibus præmia peruenire feliciter mereamur. Per Dñm noſtrum.

*Deinde fit commem. ſancti Venantij martyr. Poſtea ſanctæ Pudentianæ Virg.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

PEtrus, à nomine quo Pontifex eſt appellatus, Cœleſtinus dictus, honeſtis Catholiciſque parentibus Æserniæ in Samnitibus natus, adoleſcentiã vix ingreſſus, vt animum à mundi illecebris cuſtodiret, in ſolitudinem ſeceſsit. Ibi contemplationibus mentem nutriens corpus

corpus in ſeruitutem redigens, ferream catenam ad nudam carnem adhibebat. Cõgregationem, quæ poſteà Cęleſtinorum dicta eſt, ſub Regula ſãcti Benedicti inſtituit. Hinc quaſi lucerna ſupra cãdelabrum poſita, cum abſcondi nequiret (Romana Eccleſia diu viduata Paſtore) in Petri Cathedram ignorans & abſens aſcitus, magna nouitatis admiratione non minus quàm repentino gaudio cunctos affecit. Cum autem in Pontificatus ſublimitate collocatus, varijs diſtentus curis, aſſuetis incumbere meditationibus vix poſſe cognoſceret, oneri pariter & honori volũtariè ceſsit. Indeque priſcam vitæ rationem repetens obdormiuit in Domino: eiuſque pretioſam mortẽ Crux præfulgens in aere ante cubiculi oſtium reddidit amplius glorioſam. Miraculis multis tam viuens, quàm poſt obitũ claruit, quibus ritè examinatis, Clemens Quintus anno poſtquã deceſsit vndecimo Sanctorũ numero adſcripſit.

Ex libro Moralium ſancti Gregorij Papæ.

*Lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Iob.*

*Lectio V.*

DEridetur iuſti ſimplicitas. Huius mundi ſapientia eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt vera oſtendere; quæ vera ſunt falſa demõſtrare. Hęc nimirum prudentia vſu à iuuenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur: hanc qui ſciunt ceteros deſpiciendo ſuperbiũt: hanc qui neſciunt, ſubiecti & timidi in alijs mirãtur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dũ mentis peruerſitas vrbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab alijs mala multiplicius reddere: cũ vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere; cum virtutis poſsibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare.

*Lectio VI.*

AT contra, ſapientia iuſtorum eſt, nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera vt ſunt diligere, falſa deuitare: bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quàm facere: nullã iniuriæ vltionẽ quærere, pro veritate contumeliam lucrũ putare. Sed hæc iuſtorum ſimplicitas deridetur, quia ab huius mundi ſapientibus pu-

ritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio ſtultũ putatur: & quid quid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat. Quid namque ſtultius videtur mundo, quàm mentem verbis oſtendere, nil callida machinatione ſimulare, nullas iniurijs contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percutienti alteram maxillam præbere?

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecũdùm Matthæum.

*Lectio VII.* *cap. 19. d.*

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homil. Venerab. Bede Presb *Homil. in natalis S. Benedicti.*

PErfectus ille eſt, qui abiẽs vendit omnia quæ habet, & dat pauperibus, ac veniens ſequitur Chriſtum: habebit enim theſaurum nõ deficientem in cælis. Vnde benè interrogante Petro, dixit talibus Ieſus. Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. In hac quippè vita pro eius nomine laborantes, in alia præmiũ ſperare docuit: id eſt, in regeneratione, cum videlicet in vitam immortalem fuerimus reſurgendo regenerati, qui in vitam caducã mortaliter eramus geniti.

*Lectio VIII.*

ET iuſta prorſus retributio, vt qui hic pro Chriſto humanæ gloriam celcitudinis neglexerunt, illic à Chriſto iudices glorificati ſingulariter cum eo aſsideant qui à ſequendis eius veſtigijs nulla ratione poterant auelli. Nemo autẽ putet, duodecim tantũ Apoſtolos, quia pro Iuda præuaricante Mathias electus eſt, tunc eſſe iudicaturos; ſicut nec duodecim ſolæ ſunt tribus Iſrael iudicandæ: alioquin tribus Leui, quæ tertiadecima eſt iniudicata recedet.

*IX. Lectio S. Pudentianæ.*

Te Deum laudamus.

*Si hoc feſtum transferatur, nona Lectio de eadem Homilia habetur in feſto Conuerſionis S. Pauli 25. Ianuarij.*

*In Laudibus fit com. oct. & ſanctæ Pudentianæ Virg.*

*Miſſa*: Statuit ei Dominus.

de

*de Communi Conf. Pontif. Oratio vt ſupra. Euang.* Ecce nos reliquimus omnia. *℣. in Commun. Abbat. & com. oct. & ſanctæ Pudentianæ Virg.*

*In ſecundis Veſp. commem. ſequent.*

---

## DIE XX. MAII.

*Sexta die Infraoctauam, fit de ſancto Bernardino Senenſi Cõfeſſ. Semidup. vt in Breuiario, cum commem. Octauæ.*

---

## DIE XXI. MAII.

*Septima die Infraoctauam.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

Sermo S. Bernardi Abbatis.

*In Pſal. qui habitat. Serm. 7.*

*Lectio IIII.*

ATtentius ſanè agricola pauperem excolit fundum, ſed cui fortè nulla amplior, pretioſiorue ſit poſſeſsio. Buccellam panis in ſinu ſuo mendicus abſcondit, quod in ſacellis ſuis ſolũ hoc metalli genus æruginet. Tu quid ita extremæ huic paupertati, & quidẽ proprij malè prodigus laboris, incumbis? Eſt & alia tibi poſſeſsio, & ſi fortè remota. Erras, nihil tam prope nos, quàm quòd intra nos eſt. At fortè non quidem longius poſitam, ſed inutilem eſſe cauſaris, vt hic tibi quærendam magis ſufficientiam putes. Falleris, ibi magis inuenies, immo non inuenies niſi ibi.

*Lectio V.*

AN verò in hac poſſeſsione æſtimas, quòd vel operam tuam non exigat, vel minus reſpondeat operāti? Aut certè in tuto credis eſſe locatam, nec vlla deinceps ſolicitudine cuſtodiæ egere? Quodlibet horum ſapias, ſcito quòd deſipias vehementer. Ibi enim quam maximè, quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Sed & qui parce ſeminat, parce & metet: qui verò in benedictionibus ſeminauerit, de benedictionibus & metet, vt faciat vnum triceſimum, vnũ ſexageſimum, vnum centeſimum.

*Ex tract. eiuſdem S. Bernardi de interiori domo, in princip.*

*Lectio VI.*

DIligenter ergo exerce agrum tuum, ait ſapiens, vt poſteà ædifices domũ tuam. Ager iſte corpus noſtrũ eſt, cuius ſenſibus & moribus ſic rectè vtimur, animique imperio eos ſubjicientes in vſum virtutis inflectimus, dum corpus animo indefinẽter, & animus Deo ex toto ſubjicitur. His nimirum mo-

dis interior conſcientia ædificatur,

*In tertio Nocturno.*

Lectio Sancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

*Lectio VII.* *Cap. 16. à*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera: & Pater meus agricola. Et reliq.

Homilia S. Auguſtini Epiſc. *Tract. 81. in Ioan. 3.*

EGo, inquit, ſum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Ne quiſquam putaret ſaltem paruum aliquem fructum poſſe à ſemetipſo palmitem ferre, cum dixiſſet: Hic fert fructũ multum; nõ ait: Quia ſine me parum poteſtis facere; ſed: Nihil poteſtis facere. Siue ergo parum, ſiue multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt: quia & ſi parum attulerit palmes, eũ purgat agricola, vt plus afferat.

*Lectio VIII.*

SI quis in me, inquit, non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Ligna itaq; vitis tantò ſunt contemptibiliora, ſi in vite nõ manſerint, quantò glorioſiora, ſi manſerint. Denique, ſicut de his etiã per Ezechielem Prophetam Dominus dicit, præciſa nullis agricolarum vſibus proſunt, nullis fabrilibus operibus deputatur. Vnũ de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: ſi in vite non eſt in igne erit: vt ergo in igne non ſit, in vite ſit.

*Lectio IX.*

SI manſeritis in me, inquit, & verba mea in vobis mãſerint; quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Manẽdo quippè in Chriſto; quid velle poſſunt, niſi quod conuenit Chriſto? Quid velle poſſunt manendo in Saluatore, niſi quod non eſt alienum à ſalute? Aliud quippè volumus quia ſumus in Chriſto: & aliud volumus quia ſumus adhuc in hoc ſæculo. De mãſione namque huius ſæculi nobis aliquando ſubrepit, vt hoc petamus, quod nobis nõ expedire neſcimus. Sed abſit vt fiat nobis, ſi manemus in Chriſto, qui non facit quando petimus, niſi quod expedit nobis.

Te Deum laudamus.

---

DIE XXII. MAII.

In Octaua ſancti Iſidori agricolæ. Duplex.

*Omnia dicuntur ſicut in die feſto,*

*feſto, præter Lectiones ſecundi, & tertij Nocturni.*

*Lectiones primi Nocturni ſumuntur de Scriptura occurente.*

*In ſecundo Nocturno.*

Sermo S. Bernardi Abbatis.

*Serm. 2. omnium Sanctorum.*

*Lectio IIII.*

QVia ſancti Iſidori agricolæ feſtiuam hodie, dilectiſsimi, omnique digniſsimam deuotione memoriam celebramus, operæpretium puto, de eius felicitate, in qua beata iam requie perfruitur, ſermonẽ facere charitati veſtræ. Erit enim, præſtante Domino, triplex ſermonis vtilitas, quatenus agnita vel ex parte aliqua felici retributione Sanctorum, abũdantiori deinceps ſolicitudine ipſorum inhærere veſtigiis, ac feruentiori deſiderio ad eorum ſuſpirare conſortia, propenſiori quoque deuotione eorumdem nos commendare patrocinijs ſtudeamus.

*Lectio V.*

FIdelis quippè ſermo, & omni acceptione dignus, vt quos ſolemni veneratione proſequimur, etiam ſimili cõuerſatione ſequamur: quos beatiſsimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota auiditate curramus: quorum delectamur præconijs, ſubleuemur eorũ patrocinijs. Nec ſanè parum fructuoſa inuenitur memoria feſtiua Sanctorum, languorem, teporem, errorem que depellens, cum eorum interceſsione iuuetur infirmitas noſtra, conſideratione beatitudinis excitetur negligentia noſtra, ignorantia quoque noſtra ipſorum erudiatur exemplis.

*Lectio VI.* *Poſt multa.*

SIc enim de pręſenti Sanctorum requie habemus in pſalmo ſcriptum: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: benè, inquam, fecit, audi quã benè: Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu; id eſt, à peccato omni, & à peccati pœna, à timore quoque; & à periculo recidendi penitus liberauit. Hoc eſt ſuauiſsimum animæ ſtratũ, quod nullis iam lauet, aut riget lacrymis, quando abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eius. Hoc cubile, in quo iam non compungitur, nec conuertitur in ærumna ſua dum configitur ſpina. Exijt enim de terra illa quæ ſpinas ei & tribulos germinabat.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecũdum Ioannem.

*Lectio VII. cap. 15. à.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt. Et reliq.

Homilia S. Hilarij Epiſcopi.

*Enarratione in Pſalm. 51.*

SI qui igitur per fidem corporati Dei manere in natura aſſumpti à Deo corporis merebuntur, hi emundantur in fructus æternos ex ſe afferẽdos: quia neceſſe eſt, vt naturam verę vitis propago intra vitem manens teneat. At vero qui incredulus nati in corpore Dei fuerit, vel ſi & credens maneat, fructibus tamen fidei ſuæ careat eradicabitur, aut ob infidelitatẽ, aut ob inutilitatem fructuum negatorum.

*Lectio VIII.*

NAtus enim ex Virgine Dei Filius, non tũ primũ Dei Filius eſt, cum filius hominis; ſed in Filio Dei & filius hominis: & vt filius hominis eſſet Dei Filius, naturam in ſe vniuerſæ carnis aſſumpſit: per quam effectus vera vitis, genus in ſe vniuerſæ propaginis tenet. Si quæ ergo propago infidelis, aut infructuoſa eſt, eradicandam ipſa ſe præbet, per naturã quidem manens, ſed per infidelitatem aut inutilitatem euellitur.

*Lectio IX.*

QVi enim non manebit in Chriſto, regni Chriſti incola non erit. Nõ erit autem, non quod ſibi non patuerit incolatus (vniuerſis enim patet, vt conſortes ſint corporis Dei atq́ regni, quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, naturam ſcilicet in ſe totius humani generis aſſumens) ſed vnuſquiſque pro merito & euellẽdum ſe de tabernaculo, & eradicando de terra viuentiũ præbet: non prohibitus vnquam ineſſe, qui per naturæ aſſumptionem incola ſit receptus, ſed eradicatur ob infidelitatis crimen, naturæ conſortio indignus exiſtens.

Te Deum laudamus.

---

DIE XXV. MAII.

In feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis. Semidup.

*Omnia de Communi Virginũ, præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.*

*Oratio.*

DEus virginitatis amator, qui beatã Mariam Magdalenam virginem tuo amore ſuccenſam, cœleſtibus

donis

donis decoraſti: da vt quam feſtiua celebritate veneramur, puritate & charitate imitemur. Per Dominum noſtrum.

*Deinde fit commemor. ſancti Vrbani Papæ & martyris.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

MAria Magdalena illuſtriori Pazziorum genere Florentiæ nata, ferè ab incunabulis iter perfectio nis arripuit. Decennis perpetuam virginitatem vouit, ſuſceptoque habitu in Monaſterio ſanctæ Mariæ Angelorũ Ordinis Carmelitarum, ſe omnium virtutum exemplar exhibuit. Adeò caſta fuit, vt quidquid puritatem lædere poteſt, penitus ignorauerit. Quinquennium, Deo iubente, ſolo pane & aqua tranſegit, exceptis diebus Dominicis, quibus cibis quadrageſimalibus veſcebatur. Corpus ſuũ cilicio, flagellis, frigore, inedia, vigilijs, nuditate, atque omni pœnarum genere cruciabat.

*Lectio V.*

TAnto igne diuini amoris æſtuabat, vt eo ferendo impar, ingeſta aqua pectus refrigerare cogeretur. Extra ſenſus frequenter rapta, diuturnas & admirabiles extaſes paſſa eſt, in quibus & arcana cæleſtia penetrauit, & eximijs à Deo gratijs illuſtrata fuit. His autem munita lõgum certamen à principibus tenebrarum ſuſtinuit, arida, deſolata, ab omnibus derelicta, varijſque tentationibus vexata; Deo ſic permittente, vt inuictæ patientiæ, ac profundiſsimæ humilitatis exẽplar præberet.

*Lectio VI.*

CHaritate erga proximũ ſingulariter enituit; nam ſæpe noctes ducebat inſomnes, vel obeundis ſororũ miniſterijs, vel inſeruiẽdo infirmis occupata, quarum aliquando vlcera lambens ſanauit. Infidelium & peccatorũ perditionem amarè deflens, ſe ad quælibet pro illorum ſalute tormenta paratam offerebat. Multis ante obitum annis, vniuerſis cæli delicijs, quibus copioſè affluebat, heroica virtute renuntians, illud frequenter in ore habebat: Pati, non mori. Tandem, longa & grauiſsima infirmitate exhauſta, tranſiuit ad Sponſum die vigeſima quinta Maij anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, expleto anno quadrageſimo primo ætatis

 ſuæ.

ſuæ. Eã multis in vita & poſt mortem miraculis clarã Clemens Nonus Sanctarum Virginum numero adſcripſit: cuius corpus in præſentem diẽ incorruptum conſeruatur.

*In tertio Nocturno Homilia S. Gregorij Papæ in Euangel.*

Simile erit regnum cælorum decẽ virginibus. *de Com. Virg.*

*Nona Lectio, & commem. in Laudibus sãcti Vrbani Pa. & M.*

*Miſſa*: Dilexiſti iuſtitiam. *cum Oratione prop. & commem ſancti Vrbani Papæ & mart.*

*Veſperæ de S. Philippo Cõfeſ. dup. vt in Breuiario.*

---

## DIE XXX. MAII.

### In feſto ſancti Ferdinãdi Regis Hiſpaniarum Confeſ. Dupl.

*In omnibus regnis Hiſpaniæ Regi ſubiectis, ac in Eccleſia ſanctorum Iacobi, & Ildefonſi de Vrbe, nationis Hiſpaniæ.*

*Omnia de Communi Confeſ. non Pontif. præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.*

*Oratio*

DEus, qui beato Confeſſori tuo Ferdinando præliari prælia tua, & Fidei inimicos ſuperare dediſti: cõcede, vt eius nos interceſſione muniti, ab hoſtibus mentis, & corporis liberemur. Per Dominum noſtrum.

*In primis Veſper. & Laudib. ſit commem. ſancti Felicis Papæ & mart. cũ nona lect. de co.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

FErdinandus Tertius, Caſtellæ & Legionis Rex, cui Sancti cognomentũ iam inde à quatuor ſæculis Eccleſiarum & ſæculorum conſenſus dedere, tantum prudentię adoleſcens adhuc ſpecimen præbuit, vt Berengaria mater Caſtellæ Regina, à qua perſanctè educatus fuerat, abdicatum à ſe regnum in filiũ tranſtulerit. In eo, adiunctis regni curis, regiæ virtutes emicuere, magnanimitas, clementia, iuſtitia, & præ ceteris Catholicæ Fidei zelus, eiuſque religioſi cultus tuendi ac propagandi ardens ſtudium. Id præſtitit in primis hæreticos inſectando, quos nullibi Regnorum ſuorũ conſiſtere paſſus, proprijs ipſe manibus ligna comburendis damnatis ad rogum adueheبat. Præſtitit inſuper in erigendis, dotandis, & conſecrãdis Chriſtiano ritu Cordubenſi, Giennenſi, Hiſpalenſi, & aliarum Vrbium Eccleſijs, Maurico ereptarum iugo, ſimulque in inſtaurandis primariis

marijs Templis Toletano, Burgenſi,& alijs pia & regia munificentia.

*Lectio V.*

INter hæc, per Caſtellæ & Legionis regnum, in quo patri Alfonſo ſucceſſerat, collectis magnis exercitibus, annuas expeditiones contra Saracenos, Chriſtiani nominis hoſtes, ſuſcepit. In queis, vt ſemper vinceret, præcipui exercitus fuere preces piiſsimi Regis ad Deũ fuſæ, & quod ante pugnam, vt ſibi Deum propitiaret, flagris in ſe ſæuiebat, atque aſpero cilicio muniebat corpus: ſicque inſignes contra ingentes Maurorum acies victorias reportauit, & plures Vrbes Chriſtiano cultui, imperioque reſtituit, & conquiſitis Giennij, Cordubæ, & Murtiæ regnis, ac Granatenſi vectigali facto, ad expugnandam Hiſpalim primariam Bæticæ Vrbem, hortante in viſione (vt traditum eſt) beato Iſidoro, olim illius vrbis Epiſcopo, victricia ſigna tranſtulit. In ea obſidione (vt fertur) præſentem diuinam opem habuit: nam ferream catenam, quæ ſuper Betim tranſuerſim extenſa, Mahometanis pro repagulo erat, coorto validiori vento, vna ex nauibus regijs, Regis iuſſu eò delata, tanto impetu fregit, vt longius prætervecta, pōtem quoque ligneum, & ſimul ſpes Maurorum obruperit, & ad deditionẽ coegerit.

*Lectio VI.*

TOt victorias beatæ Virginis Mariæ patrocinio ferebāt acceptas; cuius imaginem ſecum in caſtris habens, peculiari cultu proſequebatur. Capta Hiſpali, prima Religionis cura fuit, nam Templum Maurorum expiatum, & Chriſtianorum dedicatum ſacris, inſigni Archiepiſcopatu, & honeſtiſsimo Canonicorum, & Dignitatũ Collegio, regia & religioſa liberalitate exornauit. Alia deinde in vrbe Templa, & Cœnobia erexit: inter quæ pietatis officia, dum trajicere in Africam parat, Mahometanũ in ea imperium euerſurus, ad cæleſtem regiam vocatur. In extremo vitæ agone Sacram Euchariſtiã pro Viatico allatam, fune ad collum alligato, & humi ſtratus, cum lacrymis vbertim fuſis adorans, eaque dignis reuerentiæ, humilitatis, & Catholicæ Fidei obteſtationibus accepta, obdormiuit in Domino. Iacet eius corpus, incorruptum adhuc poſt quatuor ſecula, in Templo maximo Hiſpalenſi hono-

honorificentiſsi no incluſum ſepulchro.

*In tertio Nocturno Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri in Euangel.* Nolite timere puſillus grex *de Communi Conf. non Pontif.*

*Miſſa:* Iuſtus vt palma. *de eodem Cõmuni. Oratio vt ſupra.*

---

DIE IIII. IVLII.

In feſto S. Eliſabeth Reginæ Portugaliæ viduæ. Se mid. ad libit.

*Ad Veſp. Antiph.* Iurauit Dominus. *cum reliq. Antiph. & Pſal. de Infraoctaua Apoſtolorum.*

*Capitulum. Prou. 31.*

MVlierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit.
*Reſp.* Deo gratias,

*Hymnus.*

DOmare cordis impetus Eliſabeth
Fortis, inopſque Deo
Seruire, regno prætulit.
En fulgidis recepta cæli ſedibus,
Sidereæque domus
Ditata ſanctis gaudijs.
Nunc regnat inter Cælites beatior,
Et premit aſtra, docens
Quæ vera ſint regni bona.
Patri poteſtas, Filioq̃ gloria,
Perpetuumque decus
Tibi ſit alme Spirit⁹. Amẽ.

*Verſ.* Ora pro nobis beata Eliſabeth.
*Reſp.* Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

*Ad Magnificat. Antiph.* Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrã.

*Oratio.*

CLementiſsime Deus, qui beatã Eliſabeth Reginã interceteras egregias dotes, bellici furoris ſedandi prę rogatiua decoraſti: da nobis eius interceſsione, poſt mortalis vitæ, quam ſuppliciter petimus, pacem, ad æterna gaudia peruenire. Per Dominum noſtrum.

*Deinde fit comm. Oct. Apoſtol.*

*Aña.* Petrus Apoſtolus, & Paulus Doctor Gentium, ipſi nos docuerunt legẽ tuã Domine.
*Verſ.* Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.
*Reſp.* Memores erunt nominis tui Domine.

*Oratio.*

DEus, qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti: da Eccleſiæ tuæ, eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium. Per Dominum noſtrum.

*Ad*

*Ad Matutinum, Inuitatorium.* Laudemus Deũ noſtrum* in ſanctis operibus beatæ Eliſabeth.

*Hymnus, vt ſupra in Veſperis*

*In primo Nocturno.*

*Antiph.* Eleuata eſt magnificentia Eliſabeth ſuper cælos. *Pſal.* Domine Dominus noſter. *cum reliq. de Communi non Virg. Antiph.* Veni electa mea & ponam in te thronũ meũ, quia cõcupiuit Rex ſpeciem tuam. *Pſalm.* Cæli enarrant gloriam Dei. *Antiph.* Accepit benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. *Pſal.* Domini eſt terra. *Verſ.* Multæ filiæ congregauerũt diuitias. *Reſp.* Tu ſupergreſſa es vniuerſas.

*In primo Noctur.* Lect. de Parabolis Salomonis, *v. in comm.*

1 *Reſ.* Regali exorta progenie triumphat in cęlis Eliſabeth, triplici circumdata varietate meritorum: * Nam in terra in triplici vitæ gradu poſteris imitanda virtutum reliquit exempla *Verſ.* Virginalem ſtatum, coniugalem, & vidualem inoffenſo pede cucurrit. Nam in terra.

2 *Reſp.* Os ſuum aperuit ſapientiæ: * Et lex clementiæ in lingua eius. *Verſ.* Quoniam præueniſti eam in benedictionibus dulcedinis. Et lex.

3 *Reſp.* Deſideriũ animæ eius tribuiſti ei, * Et voluntate labiorum eius nõ fraudaſti eã. *Verſ.* Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti eam Domine. Et voluntate. Gloria Patri. Et voluntate.

*In ſecundo Nocturno.*

*Antiph.* Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam deducet te mirabiliter dextera tua. *Pſal.* Eructauit. *Antiph.* Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni. *Pſal.* Deus noſter refugium, *Antiph.* Iuſtitia & miſericordia plena eſt dextera tua. *Pſal.* Magnus Dominus. *Verſ.* Virga tua, & baculus tuus *Reſp.* Ipſa me conſolata ſunt.

*Lectio IIII.*

Eliſabethã Aragoniæ Regibus ortam, Chriſti anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, in præſagium futuræ ſanctimoniæ, parentes, pręter morem, relicto matris auiæque nomine, à magna eius matertera, Thuringiæ domina, ſancta Eliſabetha, in Baptiſmo nominatam voluere. Vbi nata eſt, ſtatim patuit, quam felix Regum regnorumque eſſet futura pacatrix: natalitia enim eius lætitia perniciοſis aui patriſque diſſenſiones in cõcordiam conuertit. Pater verò

creſ-

creſcentis poſtea filiæ admiratus indolem, affirmabat fore, vt vna Eliſabetha reliquas Aragoniorum Regũ ſanguine creatas fęminas virtute lõgè ſuperaret. Sic cæleſtem ipſius vitam in contemnendo corporis ornatu, in fugiendis voluptatibus, in ieiunijs frequentandis, in diuinis precibus aſsiduè recitandis, in charitatis operibus exercendis veneratus, rerum ſuarum regnique felicitatem, vnius filiæ meritis referebat acceptam. Tandem vbique nota, & à multis Principibus exoptata, Dionyſio Luſitaniæ Regi Chriſtianis cæremonijs ritè eſt in matrimonium collocata.

*Reſp.* Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domũ patris tui : * Et concupiſcet Rex decorem tuum. *Verſ.* Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Et concupiſcet.

*Lectio V.*

IVncta coniugio, non minorem excolendis virtutibus, quàm liberis educandis operam dabat, viro placere ſtudens, ſed magis Deo. Mediã ferè anni partem ſolo pane tolerabat & aqua: quæ in quodam ipſius morbo diuinitus verſa eſt in vinum, cum id à medicis præſcriptum bibere recuſaſſet. Pauperis fœminæ vlcus horrendum exoſculata de repentè ſanauit. Pecunias pauperibus deſtribuendas, vt Regem laterent, hiberno tẽpore in roſas conuertit. Virginem cæcam à natiuitate illuminauit, multos alios ſolo Crucis ſigno à grauiſsimis morbis liberauit; plurima id genus miracula patrauit. Monaſteria, Collegia, & templa non modo extruxit, ſed etiã magnificè dotauit. In Regum diſcordijs componendis admirabilis fuit: in priuatis publicíſque mortalium ſubleuãdis calamitatibus indefeſſa.

*Reſp.* Manum ſuam miſit ad fortia: * Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. *Verſ.* Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Manum ſuam.

*Lectio VI.*

DEfuncto Rege Dionyſio, ſicut virginibus in prima ætate, in matrimonio coniugibus, ita viduis in ſolitudine fuit omnium virtutum exemplar. Illicò enim religioſis ſanctæ Claræ veſtibus induta, regio funeri conſtãter interfuit: ac paulò poſt Compoſtellam proficiſcens, multa

multa ex holoſerico, argen-to, auro, gemmiſque donaria pro Regis anima obtulit: Inde reuerſa domum, quidquid ſibi carum aut pretioſum ſupererat, in ſacros ac pios vſus conuertit: abſoluendoque ſuo verè regio Conimbricenſi virginum Cœnobio, & alendis pauperibus, & protegendis viduis, defendendis pupillis, miſeris omnibus iuuandis intenta, non ſibi, ſed Deo, & mortalium omnium commodis viuebat. Reges duos filiũ & generũ pacificatura, Stremozium nobile oppidum veniens, morbo ex itinere contracto, ibidem à Virgine Deipara viſitata, ſanctiſsimè obiit, anno milleſsimo trecenteſimo trigeſimo ſexto, die quarta Iulij. Poſt mortẽ multis miraculis claruit, præſertim ſua uiſsimo corporis iam per annos ferè trecẽtos incorrupti odore: ſemper etiam Reginæ Sanctæ cognomẽto celebris. Tandem anno Iubilæi, & noſtræ ſalutis milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, totius Chriſtiani orbis concurſu & applauſu, ab Vrbano Octauo ritè inter Sanctos adſcripta eſt.

*Reſp.* Regnum mundi, & omnem ornatũ ſæculi contempſi propter amorem Domini mei Ieſu Chriſti. * Quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi. *Verſ.* Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Quem vidi. Gloria Patri. Quem vidi.

*In tertio Nocturno.*

*Antiph.* Confeſsio & pulchritudo in conſpectu eius: ſanctitas & magnificentia in ſanctificatione eius. *Pſal.* Cantate. *Antiph.* Annuntiauerunt cæli iuſtitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius. *Pſal.* Dominus regnauit, exultet. *Antiph.* Iudicauit in iuſtitia, & populos in æquitate. *Pſalm.* Cantate ij. *Verſ.* Ignis ante ipſam pręcedet. *Reſp.* Et inflammabit in circuitu inimicos eius.

*Lect. in Euangel.* Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. *de Comm.*

1 *Reſp.* Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius: conſiderauit ſemitas domus ſuæ. * Et loquebatur de teſtimonijs Domini. *Verſ.* Guſtauit & vidit quia bona eſt negotiatio eius; non extinguetur in nocte lucerna eius. Et loquebatur.

2 *Reſp.* Inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & prepoſui illã regnis & ſedibus: * Et diuitias nihil eſſe duxi in



com-

comparatione illius. *Verſ.* Melior eſt enim ſapientia cunctis opibus pretioſiſsimis. Et diuitias. Gloria Patri. Et diuitias.

Te Deum laudamus.

## AD LAVDES,

*& per Horas. Antiph.*

DVm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis. *Pſal.* Dominus regnauit. *Antiph.* Et concupiſcet Rex decoré tuum, quia ipſe eſt Dominus Deus tuus. *Antiph.* Potens in opere & ſermone leniuit iracundiam Domini, & conciliauit cor patris ad filium. *Antiph.* Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis. *Antiph.* Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis.

*Capitulum. Prou. 31.*

MVlierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit.

*Hymnus.*

OPes decuſque regium reliqueras,
Eliſabeth, Dei dicata numini:
Recepta nunc bearis inter Angelos,
Libens ab hoſtium tuere nos dolis.
Præi, viamque dux ſalutis indica:
Sequemur. O ſit vna mens fidelium,
Odor bonus ſit omnis actio, tuis
Id innuit roſis operta charitas.
Beata charitas in arce ſiderũ
Potens locare nos per omne ſæculum:
Patrique, Filioque ſumma gloria,
Tibique laus perennis, alme Spiritus. Amen.

*Verſ.* Meritis & precibus beatę Eliſabeth. *Reſp.* Propitius eſto Domine populo tuo.

*Ad Benedictus, Antiph.*

Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi tui.

*Oratio.* Clemētiſsime Deus. *Vt ſupra.*

*Deinde fit comm. Oct. Apoſt.* *Antiph.* Glorioſi Principes. *Verſ.* In omnem terram. *Orat.* *Vt ſupra.*

*Ad Tertiam. Antiph.* Et concupiſcet. *Capit.* Mulierem fortẽ. *Reſp.* Specie tua. *Verſ.* Adiuuabit.

*Ad Sextam. Antiph.* Potẽs in opere.

*Capitulum. Prou. 31.*

MAnum ſuam aperuit inopi,

pi,& palmas ſuas extendit ad pauperem. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis. *Reſp.* Adiuuabit eam. *Verſ.* Elegit eam.

*Ad Nonam. Antiph.* Quaſi ſtella matutina.

*Capitulum. Prou.* 31.

MVltæ filiæ congregauerunt diuitias: tu ſupergreſſa es vniuerſas. Fallax gratia, & vana eſt puchritudo: mulier timens Dominũ ipſa laudabitur.

*Reſp.* Elegit eam. *Verſ.* Diffuſa eſt gratia.

*In ſecundis Veſperis. Antiph.* Dum eſſet Rex. *Vt in Laudib. Pſalm. de Communi nõ Virg. & à Capit. de Oct. Apoſtol.*

*Pro commem. ſanctæ Eliſabeth. Antiph.* Eliſabeth pacis & patriæ mater, in cælo triũphans, dona nobis pacem. *Verſ.* Ora pro nobis beata Eliſabeth. *Reſp.* Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti. *Oratio* Clementiſsime Deus. *Vt ſupra. Miſſa:* Cognoui Domine. *de Communi nec Virg. nec martyr. Oratio propria, Vt ſupra.*

---

## DIE VIII. IVLII.

In Feſto Sanctæ Margaritæ Scotorum Reginæ. Semidup adlibitum.

*Omnia de Communi. Sanctarum nec Virgin. nec Martyrum, præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.*

*Oratio.*

DEus, qui beatam Margaritam Scotorum Reginã eximia in pauperes charitate mirabilem effeciſti: da, vt eius interceſsione & exẽplo, tua in cordibus noſtris charitas iugiter augeatur. Per Dominum noſtrum.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

MArgarita, Scotorum Regina, paterno Angliæ Regum, materno Cæſarum ſanguine clariſsima, illuſtrior adhuc fuit Chriſtiana virtute. Hæc in Hungaria nata, vbi pater tunc temporis exulabat, poſt exactam ſumma cum pietate puerilẽ ætatem, vna cum genitore, qui à ſancto Eduardo patruo, Anglorum Rege, ad paterni regni faſtigium vocabatur, in Angliam venit. Mox alternante parentum fortuna, ex Angliæ littore ſoluens, vi tempeſtatis expulſa, ſeù veriùs Diuinæ prouidentiæ conſilio, deducta eſt in oram maritimam Scotiæ. Ibi cùm ex matris imperio Malcholmo Tertio, Scotorum Regi, egregijs eius dotibus capto, nup-

nupſiſſet, ſanctimoniæ ac pietatis operibus triginta, quibus regnauit, annis toti regnò mirificè profuit.

*Lectio V.*

INter regales delicias corpus afflictationibus, ac vigilijs macerans, magnam noctis partem pijs precationibus extrahebat. Præter alia ieiunia, quæ identidem vſurpabat, integros quadraginta dies ante Natalitia feſta tanta cum ſeueritate ieiunare cōſueuit, vt ne in grauiſsimis quidem doloribus intermiſerit. Diuino cultui addictiſsima, templa plurima, & Cœnobia partim ex integro excitauit, partim reſarciuit, & ſacra ſupellectili, ac largo cenſu ditauit. Regem coniugem ad meliorem frugem, & ad ſimilia ſuis exercitationibus opera ſaluberrimo exemplo traduxit: liberoſque omnes tam ſanctè & feliciter educauit, vt eorum plerique, quemadmodum & Agatha mater, & Criſtina ſoror, ſanctiſsimū vitę genus amplexi ſint. Vniuerſi demum regni felicitati conſulens, à vitijs omnibus, quæ furtim irrepſerāt, populos expurgauit, eiſque mores Chriſtiana pietate dignos reſtituit.

*Lectio VI.*

NIhil tamen æquè in illa mirabile fuit, ac flagrantiſsima charitas erga proximos, preſertim egenos: quorum numeroſis gregibus nō modo ſtipem affatim ſuppeditare; verùm etiam trecētis quotidie materna benignitate dapes præbere, flexis genibus in morem ancillę miniſtrare, regijs manibus pedes abluere, & præſsis etiam oſculis vlcera fouere ſolemne habuit. His porrò alijſque pijs ſumptibus nō regias tantùm veſtes, & precioſa monilia diſtraxit, ſed ipſum non ſemel exhauſit ærarium. Toleratis demum ad patientiæ miraculum acerbiſsimis doloribus, animam ſemeſtri corporis ęgrotatione purgatam, Auctori ſuo quarto Idus Iunij reddidit. Quo temporis momento facies eius diuturni morbi macie ac pallore fœdata; inſolita quadam venuſtate refloruit. Miris etiam poſt mortem prodigijs clara, & Clementis Decimi auctoritate in Scotiæ Patronam accepta, vbique terrarum religioſiſsimè colitur. Cuius feſtum ab eodem Pontifice cōceſſum, Innocentius Vndecimus ad octauo Idus Iulij tranſferri iuſsit.

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euang.* Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito. *de eodem Commu.*

*Miſſa:* Cognoui Domine. *de nec Virgine, nec Martyre. Oratio.* Deus, qui beatam Margaritam.

---

DIE XII. IVLII

In feſto ſancti Ioannis Gualberti Abbatis.

dupl.

*Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter ea, quæ hic ſunt propria.*

*Oratio.*

INtercesſio nos, quæſumus Domine, beati Ioannis Gualberti Abbatis commendet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Dominum noſtrum.

*In primis Veſp. & Laudib. ſit commemor. SS. Naboris, & Felicis Martyr.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

IOannes Gualbertus Florentiæ nobili genere ortus, dũ patri obſequens rem militarem ſequitur, Vgo vnicus eius frater occiditur à conſanguineo: quem cùm ſolum & inermem ſancto Paraſceues die Ioannes armis ac militibus ſtipatus obuium haberet, vbi neuter alterum poterat declinare, ob ſanctę Crucis reuerentiam, quam homicida ſupplex, mortem iam iã ſubiturus, brachijs ſignabat, vitam ei clemẽter indulget. Hoſte in fratrem recepto, proximũ ſancti Miniatis templum oraturus ingreditur: vbi adoratam Crucifixi imaginem caput ſibi flectere conſpicit. Quo mirabili facto permotus Ioannes, Deo exinde, etiam inuito patre, militare decernit; atque ibidem proprijs ſibi manibus comam totondit, ac monaſticum habitũ induit: adeòque pijs ac religioſis virtutibus breui coruſcat, vt multis ſe perfectionis ſpecimen ac normã præberet; ita vt eiuſdem loci Abbate defuncto, communi omnium voto in Superiorem eligeretur. At Dei famulus cupiens ſubeſſe potius quã preeſſe, ad maiora diuina voluntate ſeruatus, ad Camaldulenſis eremi incolam Romualdũ proficiſcitur, à quo cælicum ſui inſtituti vaticinium accipit: tum ſuum Ordinem ſub regula ſancti Benedicti apud Vmbroſam vallem inſtituit.

*Lectio V.*

DEinde plurimis ad eum ob eius ſanctitatis famā vndique conuolantibus, vna cum ijs in ſocijs adſcitis, ad hereticam & ſimoniacam prauitatem extirpandam, & Apoſtolicā fidem propagandam ſedulo incumbit; innumera propterea in ſe & ſuis incommoda expertus. Nam vt eum eiuſque ſocios aduerſarij perdant, noctu ſancti Saluij cœnobium repentè aggrediuntur, templum incendunt, ædes demoliuntur, & monachos omnes lethali vulnere ſauciant, quos vir Dei vnico Crucis ſigno incolumes protinus reddit, & Petro eius monacho per immēſum, ardentiſsimumque ignem illæſo mirabiliter tranſeunte, optatam ſibi & ſuis tranquillitatem obtinet: inde ſimoniacam labem ab Hetruria expulit, ac in tota Italia fidem priſtinę integritati reſtituit.

*Lectio VI.*

MVlta funditus erexit monaſteria; eademque & alia ædificijs ac regulari obſeruantia inſtaurata, ſanctis legibus communiuit. Ad ègenos alendos ſacram ſuppellectilem vendidit; ad improbos coercendos elementa ſibi famulari conſpexit; ad dæmones cōprimendos Crucem quaſi enſem adhibuit. Demū abſtinentijs, vigilijs, ieiunijs, orationibus, carnis macerationibus, ac ſenio cōfectus, dum infirma valetudine grauaretur, Dauidica illa verba perſæpè repetebat: Sitiuit anima mea ad Deum fōtem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciē Dei? iamque morti proximus, cōuocatos diſcipulos ad fraternam concordiam cohortatur, & in breuiculo, cui conſepeliri voluit, iuſsit hęc ſcribi: Ego Ioannes credo & confiteor fidem, quam ſancti Apoſtoli prædicauerunt, & ſancti Patres in quatuor Concilijs confirmauerunt. Tandem triduano Angelorum obſequio dignatus, ſeptuageſimum octauum annum agens, apud Paſsinianū, vbi ſumma veneratione colitur, migrauit ad Dominum anno ſalutis milleſimo ſeptuageſimo tertio, quarto Idus Iulij. Quem Cæleſtinus Tertius innumeris miraculis clarum in Sanctorum numerum retulit.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

*Lectio VII.* *Cap. 5. f.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus

ſuis diſcipulis ſuis: Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Et reliq.

Homilia ſancti Hieronymi Presbyteri.

*Lib. 1. Commet. in cap. 5. Math.*

EGo autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos. Multi præcepta Dei imbecillitate ſua, non ſanctorum viribus æſtimantes, putãt eſſe impoſsibilia quæ præcepta ſunt: & dicunt ſufficere virtutibus, non odiſſe inimicos; ceterum diligere, plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo, Chriſtum non impoſsibilia præcipere, ſed perfecta. Quæ fecit Dauid in Saul, & in Abſalon: Stephanus quoq; martyr pro inimicis lapidãtibus deprecatus eſt: & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis. Hæc autem Ieſus & docuit, & fecit, dicẽs: Pater ignoſce illis: quod enim faciunt neſciunt.

*Lectio VIII.*

IN reliquis operibus bonis interdũ poteſt aliquis qualemcunque excuſationem pretendere: ad habendam verò dilectionem nullus ſe poterit excuſare: Poteſt mihi aliquis dicere, non poſſum ieiunare: numquid poteſt dicere, non poſſum amare? Poteſt aliquis dicere, virginitatem non poſſum ſeruare: non poſſum res totas vendere, & pauperibus erogare: numquid poteſt dicere, non poſſum diligere inimicos?

*Lectio IX.*

NOn enim ibi aut pedes laborant currendo, aures audiendo, aut manus operãdo laxantur, vt nos per ipſam excuſationem liberare conemur. Non nobis dicitur: Ite ad Orientem, & quærite charitatem: nauigate ad Occidentem, & inuenietis dilectionem. Intus in noſtro corde eſt, vbi redire iubemur, dicente Propheta: Redite præuaricatores ad cor. Nõ enim in longinquis regionibus inuenitur quod à nobis petitur.

Te Deum laudamus.

*Miſſa:* Os iuſti, *de Comuni Abbatum. Euangel. vt ſupra.*

---

*In feſto ſancti Bonauenturæ die xiiij. Iulij, omiſſa nona Lect. ſancti Henrici, eius loco legitur Lectio nona de eadem. Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi, quæ habetur in eius die feſt. xxvij. Ianuarij, & incipit:* Ne igitur putetis.

## DIE XV. IVLII.

In feſto ſancti Henrici Imperatoris Conf. Semid.

*Omnia dicuntur de Communi Confeſ. non Pontif. præter Orationem propriam, & Lectiones ſecundi Nocturni.*

*In Hymno ad Matutin. & & in ſecundis Veſperis dicatur:* Hac die lætus meruit ſupremos Laudis honores.

*Oratio.*

DEus, qui hodierna die beatum Henricum Confeſſorem tuũ è terreni culmine imperij ad regnum æternum tranſtuliſti: te ſupplices exoramus; vt ſicut illum, gratiæ tuæ vbertate præuentum, illecebras ſæculi ſuperare feciſti, ita nos facias, eius imitatione, mundi huius blandimenta vitare, & ad te puris mentibus peruenire. Per Dominum noſtrum.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

HEnricus, cognomento Pius, è Duce Bauariæ Rex Germaniæ, ac poſtmodum Romanorum Imperator, temporalis regni non contentus anguſtijs, pro adipiſcenda immortalitatis corona ſedulam æterno Regi exhibuit ſeruitutem. Adepto enim Imperio, religioni amplificandę ſtudioſe incũbens, Eccleſias ab infidelibus deſtructas magnificentius reparauit, plurimiſque largitionibus & prædijs locupletauit. Monaſteria, aliaque loca pia vel ipſe ædificauit, vel aſsignatis reditibus auxit. Epiſcopatum Barbergẽſem, hereditarijs opibus fundatum, beato Petro, Romanoque Pontifici vectigalem fecit. Benedictum Octauum, à quo Imperij coronam acceperat, profugum excepit, ſuæque Sedi reſtituit.

*Lectio V.*

IN Caſsinenſi monaſterio graui detentus infirmitate, à ſancto Benedicto inſigni miraculo ſanatus eſt, Romanam Eccleſiã ampliſsimo diplomate muneratus, eidem tuendæ bellum aduerſus Gręcos ſuſcepit, & Apuliam, diu ab illis poſſeſſam, recuperauit. Nihil ſine precibus aggredi ſolitus, Angelum Domini, ſanctoſque Martyres tutelares pro ſe pugnantes ante aciem interdum vidit. Diuina autem protectus ope, barbaras nationes precibus magis quam armis expugnauit. Pannoniam adhuc infidelem, tradita Stephano Regi ſorore ſua in vxorem, eoque bapti-

tiza-

tizato, ad Chriſti fidem perduxit. Virginitatẽ, raro exẽplo, matrimonio iunxit, ſanctamque Cunegundam coniugem ſuam, propinquis eius morti proximus, illibatam reſtituit.

*Lectio VI.*

DEnique rebus omnibus, quæ ad Imperij honorẽ & vtilitatẽ pertinebant, ſumma prudentia diſpoſitis, & illuſtribus per Galliam, Italiam, Germaniam religioſæ munificentiæ veſtigijs paſſim relictis, poſtquam heroicæ virtutis ſuauiſsimum odorem longe lateque diffuderat; ſanctitate quam ſceptro clarior, ad regni cæleſtis pręmia, conſummatis vitæ laboribus, à Domino vocatus eſt anno ſalutis milleſimo vigeſimo quarto. Cuius corpus in Eccleſia beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Bambergæ conditum fuit; ſtatimque ad eius tumulum multa miracula, Deo ipſum glorificante, patrata ſunt, quibus poſteà rite probatis, Eugenius Tertius Sanctorum numero illũ adſcripſit.

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euang.* Sint lumbi veſtri præcincti. *de Communi Confeſ. non Pontif.*

*Miſſa*: Os iuſti. *de communi Confeſ. non Pontif. Orat. prop. Vt ſupra.*

---

## DIE XVI. IVLII.

*Vel alia infra eius Octau.*

Officium Cõmemorationis ſolemnis B. M. V. de Monte Carmelo. Duplex maius. In omnibus Regnis Hiſpaniarũ Regi ſubiectis, ex conceſsione Clementis X.

*Ad Veſper. Antiph.* Pulchra es, *cum reliq. de Laudib. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliq. vt in Offic. paruo B. M. V.*

*Capitulum. Eccl. 24.*

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctę ſpei.

*Hymnus.* Aue maris ſtella.

*Verſ.* Ora pro nobis ſancta Deigenitrix. *Reſp.* Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

*Ad Magnificat. Antiph.*

AVe Regina cælorũ, Aue Domina Angelorum: ſalue radix ſancta, ex qua mundo lux eſt orta: gaude virgo glorioſa; ſuper omnes ſpecioſa; vale ò valdè decora: & pro nobis ſemper Chriſtũ exora.

*Oratio.*

DEus, qui beatiſsimæ ſemper Virginis & genitri-

 cis

cis tuæ Mariæ ſingulari titu-
lo Carmeli Ordinem deco-
raſti: concede propitius, vt cu
ius hodie cõmemorationem
ſolemni celebramus officio,
eius muniti præſidijs ad gau-
dia ſempiterna peruenire me
reamur. Qui viuis & regnas.

*In fine Hymn. Completor. & Horar. dicatur Verſ.* Ieſu, tibi ſit gloria, qui natus es de Vir gine.

*Ad Matutinum, Inuitatoriũ.* In honorem beatiſsimæ Mariæ Virginis: * Iubilemus Domino.

*Pſalmus.* Venite exultemus.

*Hymnus.* Quem terra.

*In primo Nocturno. Añā* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. *Pſalm.* Domine Dominus noſter. *cũ reliq. vt in Off. paruo.* *Antiph.* Beata mater, & intacta Virgo, glorioſa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum. *Pſalm.* Cæli enarrant. *Antiph.* Dignare me laudare te, virgo ſacrata: da mihi virtutem contra hoſtes tuos. *Palm.* Domini eſt terra. *Verſ.* Sancta Deigenitrix virgo ſemper Maria. *Reſp.* Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum.

De Parabolis Salomonis.

*Lect. I.* *Cap. 8.*

EGo ſapientia habito in cõſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & ſuperbiam, & viam prauã, & os bilingue deteſtor. Meũ eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, inuenient me. *Reſp.* Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio: * Quia quem cæli capere nõ poterant, tuo gremio contuliſti. *Verſ.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia.

*Lectio II.*

MEcum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum

erant

erant abyſsi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole conſtiterant: ante colles ego parturiebar.

*Reſp.* Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum: * Quia cum eſſem paruula, placui altiſsimo, & de meis viſceribus genui Deum & hominem. *Verſ.* Beatam me dicent omnes generationes: quia ancillam humilem reſpexit Deus. Quia cum:

*Lectio III.*

BEatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuam. Omnes, qui me oderunt, diligũt mortem. Sapientia ædificauit ſibi domũ, excidit columnas ſeptẽ, Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum & bibite vinum, quod miſcui vobis.

*Reſp.* Continet in gremio cælum, terramque regentem: * Virgo Deigenitrix, proceres comitantur heriles, per quos orbis ouans Chriſto ſub Principe pollet. *Verſ.* Virgo Deigenitrix, quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Virgo. Gloria Patri. Virgo.

*In ſecundo Nocturno.*

*Antiph.* Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. *Pſalm.* Eructauit. *Antiph.* Adiuuauit eã Deus vultu ſuo: Deus in medio eius, non commouebitur. *Pſal.* Deus noſter refugium. *Antiph.* Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te, ſancta Deigenitrix. *Pſal.* Fundamenta. *Verſ.* Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti. *Reſp.* Dei genitrix intercede pro nobis.

*Lectio IIII.*

CVm ſacra Pentecoſtes die Apoſtoli cælitus afflati, varijs linguis loquerentur, & inuocato auguſtiſsimo Ieſu nomine, mira multa patrarent: viri plurimi, qui veſtigijs ſanctorum Prophetarũ Eliæ ac Eliſæi inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti aduentum comparati fuerant, rerum veritate perſpecta atque probata, Euãgelicã Fidem confeſtim ample-

 plexa-

plexati ſunt, ac peculiari quo dam affectu, beatiſsimam Virginem (cuius colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuere) adeo venerari cœperunt, vt primi omnium in eo Montis Carmeli loco, vbi Elias olim aſcendentem nebulam Virginis typo inſignem conſpexerat, eidem puriſsimæ Virgini Sacellum conſtruxerint.

*Reſp.* Sicut cedrus exaltata sũ in Libano, & ſicut cypreſſus in Monte Sion: quaſi myrrha electa: * Dedi ſuauitatem odoris. *Verſ.* Et ſicut Cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi ſuauitatem.

*Lectio V.*

AD nouum ergo Sacellum ſæpe quotidie conueniẽtes, ritibus pijs, precationibus, ac laudibus beatiſsimã Virginem, velut ſingularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres beatæ Mariæ de Monte Carmelo paſsim ab omnibus appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modo confirmarunt, ſed & Indulgẽtias peculiares ijs, qui eo titulo vel Ordinem, vel Fratres ſingulos nuncuparent, conceſſere. Nec vero nomenclaturam tantum, magnificentiſsima Virgo tribuit & tutelam, verum & inſigne ſacri Scapularis, quod beato Simoni Anglico præbuit, vt cæleſti hac veſte Ordo ille ſacer dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur. Ac demum cum olim in Europa ordo eſſet ignotus, & ob id apud Honorium Tertium non pauci pro illius extinctione inſtarent, aſtitit Honorio noctu piiſsima Virgo Maria, planeque iuſsit, vt inſtitutum & homines benignè complecteretur.

*Reſp.* Quæ eſt iſta, quæ proceſsit ſicut ſol, & formoſa tãquam Hieruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudauerunt eam. *Verſ.* Et ſicut dies verni circumdabant eã flores roſarum, & lilia conuallium. Viderunt.

*Lectio VI.*

NOn in hoc tantum ſæculo Ordinem ſibi tàm acceptum multis prærogatiuis beatiſsima Virgo inſigniuit, verum & in alio (cum vbique & potentia, & miſericordia plurimum valeat) filios in Scapularis Societatem relatos, qui abſtinentiam modicam, preceſque paucas eis prɇſcriptas frequentarunt, ac pro ſui ſtatus ratione caſtitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne purgatorij

torij expiantur ſolari, ac in cæleſtem patriam obtêtu ſuo quamtotius piè creditur efferre. Tot ergo, tantiſque beneficijs Ordo cumulatus, ſolemnem beatiſsimę Virginis Cõmemorationem ritu perpetuo ad eiuſdem Virginis gloriam quotannis celebrandam inſtituit.

*Reſp.* Ornatam monilibus filiam Hieruſalem Dominus concupiuit: * Et videntes eã filiæ Sion, beatiſsimam prædicauerunt, dicentes: Vnguentum effuſum nomen tuum. *Verſ.* Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Et videntes.

*In tertio Nocturno.*

*Antiph.* Hæc eſt quæ neſciuit thorum in delicto: habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. *Pſalm.* Cantate Domino. *Antiph.* Gaude Maria virgo, cunctas hęreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. *Pſalm.* Dominus regnauit exultet. *Antiph.* Cum iucunditate commemorationem beatæ Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominũ Ieſum Chriſtum. *Pſal.* Cantate Domino. *Verſ.* Specioſa facta es, & ſuauis. *Reſp.* In delicijs tuis ſancta Dei genitrix.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

*Lectio VII.* *Cap. 11.*

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem quędam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Et reliqua.

Homil. Venerab. Bed. Presby. *Lib 4. cap. 39. Lucæ 11.*

MAgnæ deuotionis, & fidei hæc mulier oſtenditur, quæ Scribis & Phariſæis Dominum tentantibus, ſimul & blaſphemantibus, tantã eius Incarnationẽ præ omnibus ſinceritate cognoſcit, tanta fiducia confitetur, vt & præſentium procerum calumniam, & futurorũ confundat hæreticorum perfidiam. Si enim caro Verbi Dei ſecundum carnem naſcentis à carne Virginis matris pronuntiatur extranea, ſine cauſa venter, qui eũ portaſſet & vbera quæ lactaſſent beatificantur. *Reſp.* Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen eius. *Verſ.* Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

*Lectio VIII.*

QVa enim conſequentia eius

eius lacte credatur nutritus, cuius ſemine negatur eſſe cõceptus? cum ex vnius eiuſdemque fontis origine, ſecũdum phyſicos, vterque liquor emanare probetur: niſi forte putanda eſt Virgo ſementinam ſuæ carnis materiam nutriendo in carne Dei filio ſuggerere potuiſſe: incarnando autem, quaſi maiori & inuſitato miraculo minime potuiſſe. Sed huic opinioni obſtat Apoſtolus dicens: Quia miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. *Reſp.* Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſsima: * Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. *Verſ.* Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu ſentiant omnes tuũ iuuamen, quicumque celebrant tuam commemorationem. Quia ex te.

*Lectio IX.*

NEque enim audiẽdi ſunt qui legendum putant: Natum ex muliere, factũ ſub legẽ: ſed, factũ ex muliere, quia cõceptus ex vtero virginali, carnẽ nõ de nihilo, non aliunde, ſed materna traxit ex carne: alioquin nec vere Filius hõinis diceretur, qui originem nõ haberet ex homine. Et nos igitur his cõtra Eutychen dictis, extollamus vocem cum Eccleſia Catholica, cuius hæc mulier typum geſsit: extollamus, & mentem de medio turbarũ, dicamuſque ſaluatori: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Vere enim beata parens, quæ, ſicut quidam ait, enixa eſt puerpera Regem, qui cælum, terramque tenet per ſæcula.

Te Deum laudamus.

## AD LAVDES,
*& per Horas, Antiph.*

Pulchra es, & decora filia Hieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. *Pſalm.* Dominus regnauit. *Cum reliquis de Dominica. Antiph.* Sicut myrrha electa odorẽ dediſti ſuauitatis, ſancta Dei genitrix. *Antiph.* In odorẽ vnguentorum tuorũ currimus, adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. *Antiph.* Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus *Antiph.* Specioſa facta es, & ſuauis in delicijs tuis, ſancta Dei genitrix.

*Capit.* Ego quaſi vitis. *Vt in Veſper. Hymn.* O glorioſa Virginum. *Verſ.* Elegit eam Deus & præelegit eam. *Reſp.* Et habitare

bitare eam facit in taberna-
culo ſuo.

*Ad Benedictus Antiph.*

AVe ſtella matutina, pecca torum medicina, mundi Princeps & Regina: Virgo ſola digna dici, contra tela inimici, clypeum pone ſalutis, tuæ titulum virtutis. Tu es enim virga Ieſſe, in qua Deus fecit eſſe Aaron amigdalũ, mundi tollens ſcandalũ. Tu es area compluta, cæleſti rore imbuta, ſicco tamen vellere. Tu nos in hoc carcere ſolare propitia, Dei plena gratia. O Sponſa Dei electa, eſto nobis via recta ad æterna gaudia, vbi pax eſt & gloria, tu nos ſemper aure pia dulcis exaudi Maria.

*Oratio.* Deus, qui beatiſsimæ, *Vt in Veſperis.*

*Ad Primã Antiph.* Pulchra es, *In Reſp. br. Verſ.* Qui natus es de Maria Virgine,

*Ad Tertiam Aña.* Sicut myrrha.

*Capitulum.* Ego quaſi vitis. *Vt ſupra.*

*Reſp.* Sancta Dei genitrix,* Virgo ſemper Maria. Sancta Dei. *Verſ.* Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum. * Virgo ſemper Maria. Gloria Patri. Sancta Dei genitrix. *Verſ.* Poſt partũ Virgo inuiolata permanſiſti. *Reſ.* Dei genitrix, intercede pro nobis.

*Ad Sextam. Antiph.* In odorem.

Capitulum. *Eccli.* 24.

SPiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & fauum. Memoria mea in generationes ſæculorum.

*Reſp.* Poſt partum virgo* Inuiolata permanſiſti. Poſt partum.

*Verſ.* Dei genitrix intercede pro nobis. Inuiolata, Gloria Patri. Poſt partum. *Verſ.* Specioſa facta es & ſuauis. *Reſp.* In delicijs tuis, ſancta Dei genitrix.

*Ad Nonam. Antiph.* Speciosa facta es.

Capitulum. *Eccli.* 24.

QVi audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt, qui elucidant me vitam æternam habebunt.

*Reſp.* Speciosa facta es, * Et ſuauis. Speciosa. *Verſ.* In delicijs tuis, ſancta Dei genitrix. Et ſuauis. Gloria Patri. Speciosa facta es. *Verſ.* Elegit eã Deus, & præelegit eam. *Reſp.* Et habitare eam facit in tabernaculo ſuo.

*In ſecundis Veſperis omnia vt in primis.*

*Ad*

*Ad Magnificat. Antiph.*

ALma Redemptoris mater, quæ peruia cæli porta manes, & ſtella maris: Succurre cadenti, ſurgere qui curat populo, tu quę genuiſti, natura mirante, tuum ſanctũ genitorem, Virgo prius, ac poſterius Gabrielis ab ore ſumens illud Aue, peccatorum miſerere.

*Oratio.* Deus, qui *Vt ſuprà.*

---

DIE XX IVLII.

Officium proprium ſanctæ Liberatæ Virginis, & Martyris, Patronæ Eccleſiæ, & Diœceſis Seguntinæ. Dup. ſecund. Claſ.

*Omnia de Communi Virginum, & Martyrum, præter ea quæ ſequuntur.*

*In primis Veſperis.*

*Ad Magnificat.*

*Antiph.* Glorioſum ſanctę Liberatæ triumphum ſolemniter celebremus, quæ in Cruce pendens infernum vicit, & tyrannorum tormenta ſuperauit, Alleluia.

*Oratio.*

BEatæ Liberatæ Virginis, & Martyris tuæ, quæſumus Domine, precibus, & meritis adiuuemur: vt quę pro tui nominis confeſsione, & pudicitiæ defenſione in Cruce pependit, ab inimicorum inſidijs ſua nos protectione defendat. Per Dominum noſtrum.

*In Primo Nocturno.*

De libro Eccleſiaſtici.

*Confitebor tibi Domine Rex, de communi.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IV.*

LVcius Catellius Seuerus, Præſes Galleciæ, & Luſitaniæ, & eius terrę Regulus, idolorum cultor, ex Calſia coniunge, eidem falſę religioni dedita, vno partu (vt multarũ in Hiſpania Eccleſiarum fert traditio) nouẽ edidit filias. Quæ cum exiſtimaret, hoc poſſe contra eã aliquam violati thori, & intemperantis vitæ excitare ſuſpicionem, obſtetrici ſeuere indixit, vt occultè illam tot filiarum turbam in flumẽ proijceret. Illa verò conſiliũ deteſtata, in proximum vicũ progreſſa, nouem puellas totidem nutricibus alendas tradidit; a quibus ſacro fonte luſtratæ, Geniuera, Vvilgefortis ſeu Liberata, Victoria, Eumelia, Germana, Gẽma, Martia, Baſiliſſa, ac Quiteria nũcupatæ, totas ſe Deo conceptæ virginitatis voto cõſecrarũt. *Reſp.* Propter veritatem.

*Lectio. V.*

INterea dira perſecutio Chriſ

Chriſtianum nomen vrgebat, & ad Balchagiã Catellij ſedẽ progreſſa (quæ hodie dicitur Bayona Tudẽſis) cultores idolorum impulit, vt virgines ſacras cõprehenderent, & Catellio patri ſiſterent puniendas. Qui de genere, & religione ſciſcitatus, Chriſtianas, & filias ſuas eſſe cognouit: Cum autem omnia illis regia liberalitate promitteret, omniaquè ſuplicia iudicis ſeueritate mĩnaretur, vt eas a ſtudio Chriſtianæ religionis abduceret, & maternæ preces, & lacrymæ his omnibus accederent: nihilo minus ſacræ virgines omnes in ea, quam ſuſceperant, fide conſtantes permanſerunt.

*Reſp.* Dilexiſti iuſtitiam.

*Lectio. VI.*

CVm autem pater nĩl proficeret, & in filiarum cædem raperetur furore, illæ tametſi Martyrij cupidę, patris tamen graue peccatũ vitare cupientes, ab eius ſtatuerunt ſeſe poteſtate ſubducere, quod fecere, non ſimul omnes, ſed ſeorſum, aliæ alio dilapſæ: vbi varijs locis martyriũ ſubierunt. Vuilgefortis vero, ſeu Liberata, cum alijs Chriſtianis in eremum ſeceſsit, vbi aſperrime viuens Syluestri cibo ſemel ad veſperam quotidie reficiebatur: donec comprehenſa iterum ab impijs idolorum cultoribus ad ſacrilegũ idolorum cultúm, & impudicitiam fuit inſtigata: illa vero, nec ſororũ nece perculſa, nec minis, aut cruciatibus deterrita, tortoribus ſe læta obtulit. Et poſt varia tormentorum genera, in Luſitania ad Caſtraleuca pro fide, & pudicitia decertãs in Cruce meruit Martyrij palmam adipiſci, circa annũ Domini centeſimum trigeſimum nonum: cuius corpus in ampliſsimo templo Seguntino honorificè conditũ, ſumma colitur religione, & populorum frequentia.

*Reſp.* Afferentur.

*In Tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Mathæum.

*Lectio. VII.* *Cap.* 13.

IN illo tempore dixit Ieſus Diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. Et reliqua.

Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi.

*Homil.* 48. *ſuper Mathæum* *Cap.* 13.

SIcut granum ſinapis, & fermentum, ſic duæ parabolæ iſtæ theſauri, atque margaritę parum inter ſe differunt:

runt: illud enim ambabus his denotatur, quoniam oporteat prædicationem Euangelij omnibus cæteris anteponere. Et illis quidem (fermēti dico, atque ſinapis) magna Euangelij virtus oſtendebatur, quæ omnino totum orbem terrarum erat ſuperatura: hæ vero poſteriores ſummi eſſe pretij ſignificant; ſicut enim ſinapis extenditur, ſic quaſi margarita preciosiſſimum eſt, ac infinitas exhibet commoditates, vt theſaurus.

*Reſp.* Hæc eſt virgo.

*Lectio. VIII.*

NEc illud ſolum dicimus quia cetera obijcienda ſunt omnia, & ſola prædicatio Euangellij retinēda; verum etiam magno id eſſe eum gaudio faciendum. Sane qui renuntiationem bonorum facit, is nullam iacturam, ſed quæſtuoſiſsimam facit mercaturam. Perpendis quo modo in mundo abdita, atque celata prædicatio eſt? Et in prædicatione ſūma felicitas recondita? Niſi ergo cunctas res tuas venundabis, non emes: niſi curioſe quæras, non inuenies. Duo hæc quippe nobis ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſæcularium rerum contemptus, & iugis vigilantia.

*Reſp.* Media nocte.

*Lectio. IX.*

QVærenti enim (inquit) bonas margaritas, & cum inueniſſet vnam pretioſam, vendidit quæcūque habebat, ac emit eam. Vna quippe veritas, nec in multas ſcinditur partes: ac veluti qui margaritam habet, nouit ſe diuitem eſſe, etiam ſi alijs ignotum nonnumquā illud ſit, cum paruo in loculo margarita reconditur: ſic in prędicatione veritatis, qui ei adhærent, totoquè animo illam amplectuntur, opulentos eſſe non ignorant, quamvis infideles, theſauri vim non agnoſcentes, fidelium opes contemnant.

Te Deum laudamus.

*Ad Benedictus. Añt.*

Quamvis plurimis blandimentis, & minis ſancta Liberata expectaretur, vt fidem Chriſtianam, pudicitiamquè deſereret: ſtabilis, & firma in agone permāſit, & in Cruce impollutum ſpiritum Deo reddidit.

*Oratio.*

BEatæ Liberatæ Virginis, & Martyris tuæ, quæſumus Domine, precibus, &

& meritis adiuuemur: vt quæ pro tui nominis confeſſione, & pudicitiæ defenſione in Cruce pependit, ab inimicorum inſidijs ſua nos protectione defendat, Per Dominum noſtrum.

*In ſecundis Veſperis.*

*Ad Magnific. Aña.*

O felix Liberata, à tyrannorũ ſeuitia liberata! O glorioſa Vvilgefortis quæ vbique fortis in certamine reperta es! O Patrona admiranda Ciuitatis,& Diœceſis Seguntinæ: fac nos tuis precibus ad gaudia cæleſtia, quibus frueris, peruenire.

---

DIE XXXI. IVLII.

*In feſto S. Ignatij Conf. Dup.*

*Omnia vt in Breuiar. Rom.*

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangel.* Deſignauit Dominus. *de Communi Euangeliſtarum.*

*Miſſa habetur propria.*

---

OFFICIVM PROPRIVM B. Virginis Mariæ de Mercede.

Duplex. Maius.

*Recitandum Dom.* I. *Auguſt.*

*Omnia dicuntur, vt in feſto ad Niu. præter ea, quæ ſequuntur*

*Oratio.*

DEus, qui per glorioſiſsimam Filij tui Matrem ad liberandos Chriſti fideles a poteſtate Paganorum, nova Eccleſiam tuam prole amplificare dignatus es; præſta quæſumus, vt quam pie veneramur tanti operis Inſtitutricem, eius pariter meritis, & interceſsione, a peccatis omnibus, & captiuitate dœmonis liberemur. Per eundẽ.

*Deinde fit commemor. Dominicæ occurrentis.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio. IV.*

QVo tempore maior, feliciorq́ Hiſpaniarũ pars diro Saracenorum opprimebatur iugo, innumerique fideles ſub immani ſeruitute maximo cum periculo Chriſtianæ fidei abiurandæ, amittendæ què ſalutis æternæ, infelicitèr detinebantur: Beatiſsima cęlorum Regina, tot tantiſque benigniter ocurrens malis, nimiam charitatẽ ſuam in ijs redimendis oſtendit. Nam Sancto Petro Nolaſco, pietate, & opibus florenti, qui ſanctis vacans meditationibus, iugiter animo recogitabat, qua ratione tot Chriſtianorum ærumnis ſub Maurorum captiuitate degentium ſuccurri poſſet: ipſamet Beatiſsima Virgo ſerena fronte ſe conſpiciendam dedit, & acceptiſsimum ſibi,

ac Vnigenito ſuo Filio fore dixit, ſi ſuum in honorem inſtitueretur ordo Religioſorum, quibus cura incumberet captiuos è Turcorum tyrannide liberandi; qua cæleſti viſione Vir Dei recreatus, mirum eſt, quo charitatis ardore flagrare cœperit, hoc vnum ſeruans in corde ſuo, vt ipſe, ac inſtituenda ab eo Religio maximam illam charitatē ſedulo exercerent, vt quiſque animam ſuam poneret pro amicis, & proximis ſuis.

*Reſp.* Sicut cedrus.

*Lectio. V.*

EA ipſa nocte eadem Virgo Sanctiſsima beato Raymundo de Peñafort, & Iacobo Aragoniæ Regi apparuit, idipſum de Religioſis inſtituēdis admonens, ſuadéſquè, vt opem pro conſtructione tāti operis ferrent. Petrus autem ſtatim ad Raymūdi pedes, qui ipſi erat a ſacris confeſsionibus, aduolans, ei rem omnem aperuit, quem etiam cælitus inſtructum reperit, eiuſque directioni ſe humillime ſubiecit. At ſuperueniens Iacobus Rex, quam & ipſe acceperat a Beatiſsima Virgine reuelationē exequi ſtatuit. Vnde collatis, inter ſe conſilijs, & oōſentienti bus animis in honorem eiuſdem Virginis Matris Ordinem inſtituere aggreſsi ſunt ſub inuocatione Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

*Reſp.* Quæ eſt iſta.

*Lectio. VI.*

DIe igitur decima Auguſti anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo octauo, Rex idem Iacobus eam inſtitutionem, iam pridem ab iiſdem Sanctis Viris conceptam, exequi ſtatuit, ſodalibus quarto voto adſtrictis manendi in pignus ſub Paganorū poteſtate, ſi pro Chriſtianorum liberatione opus fuerit. Quibus Rex ipſe arma ſua Regia in pectore deferre conceſsit, & a Gregorio Nono illud tam præcellētis erga proximum charitatis Inſtitutum, & Religionē confirmari curauit. Sed & ipſe Deus per Virginem Matrem incrementum dedit, vt talis inſtitutio celerius, ac feliciu totum per Orbē diuulgaretur, ſanctiſquè viris floruerit charitate, ac pietate inſignibus qui eleemoſynas a Chriſti fidelibus collectas in pretiū redemptionis ſuorum proximorum expenderent, ſeque ipſos interdum darent in redemptionē multorum.

torum. Vt autem tanti beneficij, & inſtitutionis debitæ Deo, & Virgini Matri referātur gratiæ, Sedes Apoſtolica hanc peculiarem feſtiuitatem celebrari, & officium recitari indulſit, cum alia fere innumera eidem Ordini priuilegia pariter cōtuliſſet.

*Reſp.* Ornatam monilibus.

*In Tertio Nocturno.*

Regem gloriæ qui beatos

*Reſp. VIII.* Beata es Maria Dei Genitrix, Patrona, & auxiliatrix noſtra: * Cuius nutu hæc tua ad fidelium redēptionē inſtituta eſt Religio

*Verſ.* Tua facta interceſsione adiuua nos Virgo immaculata. Cuius nutu. Gloria Patri. Cuius nutu.

*Nona lectio, & commemoratio in Laudibus Dominicæ occurrentis.*

*Ad Veſperas. Añā.*

Dum eſſet, *cum reliquis de Laudibus, Pſalm. Capitulum, Hymnus, & Verſ. vt in primis Veſperis.*

*Ad Magnificat. Añā.*

Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus.

*Oratio.* Deus, qui, *vt ſupra.*

*Deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis.*

*Miſſa vt in Feſto ad Niues. Oratio. vt ſupra.*

## DIE VII. AVGVSTI.

## In feſto S. Caietani Confeſ.

Semiduplex.

*Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter ea quæ hic habentur propria.*

*In ſecundis Veſp. Transfigur. D. N. Ieſu Christi pro commem ſancti Caietani. Antiph.* Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis.

*Oratio.*

Deus, qui beato Caietano Confeſſori tuo Apoſtolicam viuendi formā imitari tribuiſti: da nobis eius interceſsione & exemplo, in te ſemper confidere, & ſola cæleſtia deſiderare. Per Dominum noſtrum.

*Deinde fit commemor. ſancti Donati Epiſc. & martyris.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno*

*Lectio IIII.*

Caietanus nobili Thienæa gente Vicentiæ ortus, ſtatim à matre Deiparæ Virgini oblatus eſt. Mira à teneris annis morum innocentia in eo eluxit, adeò vt Sanctus ab omnibus nuncuparetur. Iuris vtriuſque Lauream Patauij adeptus, Romā profectus eſt, vbi inter Prælatos

latos à Iulio Secundo collo-
catus,& Sacerdotio initiatus
tanto Diuini amoris æſtu ſuc
cenſus eſt,vt relicta aula ſe
totum Deo mancipauerit.
Noſocomijs proprio ęre fun
datis,etiam morbo peſtilenti
laborantibus, ſuis ipſe mani-
bus inſeruiebat. Proximorũ
ſaluti aſsidua cura incumbe-
bat, dictus propterea vena-
tor animarum.

*Lectio. V.*

COllapſam Eccleſiaſtico-
rum diſciplinam ad for-
mam Apoſtolicæ vitæ
inſtaurare deſiderans; Ordi-
nem Clericorum Regulariũ
inſtituit, qui abdicata rerum
omnium terrenarum ſollici-
tudine,nec reditus poſside-
rent, nec vitæ ſubſidia à fide
libus peterent, ſed ſolis elee-
moſynis ſpontè oblatis viue-
rent, Itaque approbante Cle
mente Septimo ad aram ma-
ximãBaſilicæ Vaticanę vna
cũ Ioãne Petro Carrafa Epiſ
copoTheatino, qui poſteà
Paulus Quartus Põtifex Ma
ximus fuit, & alijs duobus
eximiæ pietatis viris ,vota
ſolemnia emiſit.In Vrbis di-
reptione à militibus crudeliſ
ſime vexatus,vt pecuniã pro
deret quã dudum in cæleſtes
theſauros manus pauperum
deportauerant, verbera, tor
tormeta, & carceres inuicta
patientia ſuſtinuit. In ſuſcep
to vitæ inſtituto conſtantiſ-
ſime perſeuerauit,ſoli diuinę
prouidentiæ inhęrens, quam
ſibi numquã defuiſſe,aliquã-
do miracula comprobarunt.

*Lectio VI.*

DIuini cultus ſtudium , ni
torem domus Dei,ſacro
rum Rituũ obſeruantiã
& ſanctiſsimæ Euchariſtiæ
frequentiorem vſum maxi-
mè promouit.Hæreſum mõſ
tra & latebras non ſemel de-
texit,ac profligrauit. Oratio
nem ad octo paſsim horas iu
gibus lacrymis protrahebat;
ſępè in extaſim raptus,ac pro
phetiæ dono illuſtris.Romæ
nocte natalitia ad Præ-
ſepe Domini infantem Ieſũ
accipere meruit à Deipara
in vlnas ſuas. Corpus inte-
gras noctes interdum verbe
rationibus affligebat;nec vn
quam adduci potuit , vt vitæ
aſperitatem emolliret: teſta-
tus in cinere & cilicio velle
ſe mori. Denique ex animi
dolore concepto morbo,
quod offendi plebis ſeditio-
ne Deum videret,cæleſti vi-
ſione recreatus, Neapoli mi-
grauit in cælum: ibique cor-
pus eius in Eccleſia ſacti Pau
li magna religione colitur.
Quem multis miraculis in vi
ta

ra & poſt mortem glorioſum Clemens Decimus Pontifi-fex Maximus ſanctorum numero adſcripſit.

*IN III. NOCTVRNO.*

Lectio ſancti Euangelij ſecũdum Matthæum.

*Lectio vij.* *Cap. 6.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Et reliq.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

*Lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 14.*

NEmo poteſt duobus dominis ſeruire. Ad hanc ipſam intentionem referendum eſt; quod conſequenter exponit, dicens: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut alterum patietur, & alterum contemnet. Quæ verba diligenter conſideranda ſunt: nam qui ſint duo domini, deinceps oſtendit, cum dicit: Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Mammona apud Hebræos diuitiæ appellari dicũtur. Congruit & Punicum nomen: nam lucrum punicè mammon dicitur. Sed qui ſeruit mammonæ, illi vtique ſeruit, qui rebus iſtis terrenis merito ſuæ peruerſitatis præpoſitus, magiſtratus huius ſæculi à Domino dicitur. Aut enim vnum odio habebit homo, & alterum diliget; id eſt Deum: aut alterum patietur, & alterum contemnet. Patietur enim durum, & perniciosum dominum, quiſquis ſeruit mammonæ: ſua enim cupiditate implicatus, ſubditur diabolo, & non eum diligit. Quis enim eſt qui diligat diabolum? ſed tamen patitur.

*Lectio viij.*

IDeò, inquit, dico vobis, nõ habere ſolicitudinem animæ veſtræ quid edatis, neque corpori veſtro quid induatis: ne fortè, quamuis iam ſuperflua non querantur, propter ipſa neceſſaria cor duplicetur, & ad ipſa conquirenda, noſtra detorqueatur intẽtio, cum aliquid quaſi miſericorditer operamur; id eſt vt cum conſulere alicui videri volumus, noſtrum emolumẽtum ibi potius, quam illius vtilitatem attendamus: & ideò nobis nõ videamur peccare, quia non ſuperflua, ſed neceſſaria ſunt, quæ conſequi volumus.

*Pro ſancto Donato.* *Lectio ix vt in Breuiario.*

*In Laudibus ad Benedictus.*

*Ant.* Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus? aut quid bibemus? ſcit enim

enimPater veſter, quid vobis neceſſe ſit.

*Et ſit commemor. ſancti Donati Epiſc. & martyris.*

*In ſecundis Veſperis à Capitulo de SS. Cyriaco, Largo, & Smaragdo mart. commem. ſancti Caietani. Antiph.* Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

*Miſſa de Communi Conf. non Pontif.* Os iuſti. *Oratio propria. Secunda ſancti Donati Epiſc. & M. Tertia* A cunct. *Euang.* Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. *Vt in Dominica xiiij. poſt Pentecoſt.*

---

*DIE IX. AVGVSTI.*

OFFICIVM PROPRIVM Sanctorum Martyrum Iuſti, & Paſtoris Patronorum Magiſtralis Eccleſiæ, & oppidi Complutenſis Toletanæ Diœceſis.

Duplex 2. Claſsis.

*Ad Veſperas.*

*Ant.* Iuſtus & Paſtor, *Cum reliq. de Laudib.*

*Pſalm.* Dixit Dominus, *Cum reliq. de Dnica. Vltimo loco:* Laudate Dñum omnes gentes.

*Capitulum Rom. 8.*

FRatres, exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſsiones huius tẽporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis: nam expectatio creaturæ reuelationẽ filiorum Dei expectat.

*Hymn. B. Iſidor.*

ECce Iuſtus, ecce Paſtor,
Ambo iuncti ſanguine,
Quos piæ fraternitatis
Iunxerat germinatas,
Iunxit æqualis ſacratæ
Paſsionis vnitas,
Hi tamen ſcholis retenti,
Dum inſtruuntur litteris
Audientes quod tyrannus,
Intrat vrbem perſequens,
Illico ſcholam relinquunt.
Et tabellas abnuunt.
Appetunt curſu deinde,
Præſidis præſentiam,
Et Crucem Chriſti ſequẽdo,
Corpus armant debile,
Quo triumphos paſsionis
Expedirent fortiter.
Hoc repente Daciano
Nuntiantes inquiunt,
Ecce advenire Chriſtum
Profitentes paruulos,
Mortis vltro paſsiones,
Atque cædes perpeti.
Concitãs adeſt hic Pręſes
Turbidus,, ſęuitiam:
Ad ſuos truces miniſtros
Teneantur clamitat:
Fuſtibus, iubens tenella
Diſſecari corpora.
Tunc ſacratas ambo voces,
Alloquuntur inuicem,
Tempus es iam temporales
Ferre pœnas corporis,

Quo

Quo ſuturo perfruamur;
Gaudio cum Angelis.
Audiens mox Dacianus
Martyrum conſtantiam;
Excitatus in furore,
Dictat hanc ſententiam:
Vt perempti ambo fratres,
Morte dira intercidant.
Protinus, eos ferentes
Pertrahunt ſatellites,
Ad locum campi patentem,
Quem ferunt laudabilem,
Enſe illic verberantur,
Laureantur ſanguine,
Laus tibi per omne tēpus,
Trinitas indifferens,
Laus, honor, virtuſq; ſumma
Singularis gloriæ,
Quæ Deum te ſæculorum,
Perſonet, per ſæcula. Amen.

*Verſ.* Lætamini in Domino, & exultate iuſti.

*Reſp.* Et gloriamini omnes recti corde.

*Añt. Ad Magnificat.*

Fortiſsimi pueri Iuſtus, & Paſtor, in campum laudabilem adducti, pro Chriſto pluſ quam virili conſtantia, dato collo, martyrio coronati ſūt

*Oratio.*

DEus lactentiū fides, ſpes infantium, charitas puerorum, qui per Innocentium tuorum Iuſti, & Paſtoris laudem cunctos prouocas ad ſalutem: infunde nobis, quæſumus, puritatem lactentis infantiæ, vt dum ſenſu iuſtitię paruulis adæquamur, in illà remuneratione fideliū cum ſanctis pariter gloriemur. Per Dominum noſtrū.

*Nulla fit commem. præcedentis, ſi vero venerit in Dñica fit commem. de ea.*

*Ad Matutinum Inuitat.*

Regem gloriæ, qui beatos hodie Iuſtum, & Paſtorē coronauit * Venite adoremus.

*Pſalm.* Venite.

*Hymnus.*

DIuino agente ſpiritu, Qui infirma mundi roborat,
Ad vincula, flagra, & vulnera.
Fratres tenelli conuolant.
Vix Iuſtus annum ſeptimū:
Nonumque Paſtor egerat,
Etiam cruento in prælio,
Vterque mundum vicerat.
Minas vterque Præſidis
Vterque ſpreuit verbera,
Et colla vterque lactea,
Stricto mucroni ſubdidit.
Incenſa nempe charitas,
Quā Chriſtus armat, & fouet
Quamuis tenello in corpore
Neſcit malis ſuccumbere.
In hoc triumpho nobili,
Diuina virtus emicat,
Quæ infirma ſęcli deligit,
Confundat vt fortiſsima.
Sit laus, poteſtas, gloria,
Vni, trinoquè numini,
Quod cæde, & ore infantiū.

Inuitat ad cæleſtia. Amen.

*Aña.* Cum Dacianus pręſes dira Chriſtianis ſupplicia minaretur, Iuſtus, & Paſtor pueri, mira alacritate ſe ſe martyrio obtulerunt.

*Pſalm.* Beatus vir.

*Aña.* Ira exardeſcens, & rubore ſuffuſus Dacianus infantes Martyres fuſtibus cædi & excruciari crudeliter iuſsit.

*Pſalm.* Quare fremuerunt gẽtes. *Aña.* Non flagris, non morte deterriti, ad martyrium pro Chriſto perferendum, ſe mutuo roborabant.

*Pſalm.* Domine, quid multiplicati.

*Verſ.* Lętamini in Dño, &c.

*Reſp.* Et gloriamini omnes recti corde.

*In primo Nocturn. lection.*

*B. Pauli ad Rom.* Fratres, debitores, *vt in commun. plurimor. Mart.*

*Reſp.* 1 Beati Martyres Iuſtus, & Paſtor teneris annis ætatis ſuæ mortem perdiderunt & vitam inuenerunt. * Quia ſolum vitæ dilexerunt authorem.

*Verſ.* Infantia computabatur in annis, ſed ſenectus erat venerabilis non annorum numero computata, Quia.

*Reſp.* 1. Ingreſſus tyrannus Cõplutũ omnes Chriſtianos perquiri iubet. qui aut idolis ſacrificent, aut cruciatibus acerbiſsimis interficiantur, Iuſtus & Paſtor vltro ſe offerunt. * Quia magno deſiderio, pro Chriſto moriendi erant incenſi.

*Verſ.* Proiectis tabellis, quibus prima litterarum rudimenta continebantur, in domũ iudicis properant, Quia.

*Reſp.* 3 Videte ne cõtemnatis vnum ex his puſillis. * Angeli enim eorum ſemper vidẽt faciem Patris mei, qui in cælis eſt.

*Verſ.* Qui ſcandalizauerit vnũ de puſillis iſtis, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundũ maris. Angeli. Gloria Patri. Angeli.

*In ſecundo Nocturno.*

*Aña.* Dixit iuſtus, noli frater Paſtor hanc temporalem pertimeſcere paſsionem, nam qui nos ad tantam gratiam vocauit, vires cruciatibus pares præſtabit.

*Pſal.* Domine, quis habitabit.

*Aña.* Dignè frater juſte, ſic te decet hortari, vt iuſtitiam, quam nomine præfers, ſimul cum tuo fratre ſuſcipias.

*Pſal.* Conſerua me Domine.

*Aña.* Hi ſunt, qui acceperũt benedictionem a Domino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo.

*Pſalm.*

*Pſalm.* Domini eſt terra.
*Verſ.* Exultent iuſti in conſpectu Dei.
*Reſ.* Et delectentur in lętitia.
*Ex lib. S. Iſidori, & lib. S. Ildephonſi de viris illuſt.*

*Lectio. IV.*

IVſtus, & Paſtor germani fratres Complutenſes, illuſtre Chriſto Domino teſtimonium dederunt, Diocleciano, & Maximiano Imperatoribus. Nam cum Dacianus Pręſes, Complutum ingreſus, Chriſtianos omnes perquiri iuberet, vt aut fidẽ Chriſti deteſtati Idolis ſacrificarent, aut acerbiſsimis cruciatibus interficerentur, Iuſtus, & Paſtor puerúli magno ſunt pro Domino morien di deſiderio incenſi. Itaque proiectis tabellis, quibus prima litterarum rudimenta cõtinebantur, quo Chriſtũ melius diſcerent, è ludo litterario, neque vocati, neque appellati, in domũ iudicis properant: Chriſtianos ſe eſſe publice profitentur, & pro Chriſti fide ſupra ętatem, & corporis vires læti, atque alacres tormentorum cruciatibus ſe ſe vltro offerunt. Quos Dacianus tamquam pueros iubet verberibus ab ea mente deterreri.

*Reſp.* Iuſtus ſic fratrem Paſtorem alloquebatur: ne timeas frater, mortẽ corporis, nec dira tormenta, quę nos circunſtant: * Nam Deus ille, qui nos ad tantam gratiam vocare dignatus eſt, dabit vires cruciatibus pares.
*Verſ.* Non te deterreant tormenta, quæ nobis parata ſũt, quaſi tenella noſtra ætate grauiora. Nam Deus.

*Lectio. V.*

DVm ad verbera ducuntur, mutuo ſe ad ſupplicia fortiter ſubeunda nouelli agni cohortabantur. Nã Iuſtus minor natu, timẽs forte, ne de ſua frater conſtantia diffideret ſic prior Paſtorem alloquitur. Nil, Paſtor frater, timeas mortem corporis, quæ nos circũſtat; nec tormenta, quæ nobis parata ſunt, quaſi tenella noſtra ætate grauiora; excipe iugulo ſecurus gladium: nam Deus ille, qui nos ad tantam gratiam vocare dignatur, dabit etiam vires cruciatibus pares. At hæc Paſtor: Merito Iuſte frater, ſic te decet hortari, vt iuſtitiam, quam nomine præfers, re ipſa preſtes eiuſquè fructus mecum vna percipias. Egó vero libenter ſocium me tibi præbebo martyrij, vt tecum huius certaminis gloriã adipiſcar. Quorum

rum ſermones cum ſatellites ad Dacianum detuliſſent, veritus ille, ne reliqui Chriſtani tanto excitarentur exemplo, eiuſque crudelitas, ſi in certamen deſcenderet, a pueris vinceretur, extra oppidũ, procul ab hominum frequentia ſanctiſsimos pueros arripi iubet, & ſilentio occidi. Itaque in campum, qui laudabilis eſt appellatus abducti, octauo idus Auguſti gladio feriuntur. Et vt a maioribus accepimus, iugulati ſunt ſuper lapidem, qui Compluti in honore eſt, & adhuc ſeruat ſacrati martyrij impreſſa veſtigia.

*Reſp.* Propter teſtamentum Domini, & leges paternas Iuſtus, & Paſtor perſtiterũt in amore fraternitatis. * *Quia* vnus fuit ſemper ſpiritus in eis, & vna fides.

*Verſ.* Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quia.

*Lectio. VI.*

POſt diſceſſum Daciani, Chriſtiani beatiſsima puerum corpuſcula eo ipſo loco honorifice ſepelierunt: quæ durante perſecutione: & nobis deinceps ſemper bellis Hiſpania exagitata, obliuioni traduntur, donec longo poſt tempore, Aſturio Toletano Archiepiſcopo, viro ſanctiſsimo diuinitus commoſtrata ſunt. Qui cæleſtem theſaurum pro dignitate æſtimans, Complutum venit, eumquè pretioſo tumulo condidit: tantaquè veneratione proſecutus eſt, vt Toletana ſede relicta, primus Cõplutenſem Epiſcopatum conſtituerit: ac reliquum vitæ tempus, in honorandis ſanctiſsimis pueris collocarit, neque amplius ſe ab eis diuelli paſſus eſt, quorum reliquiæ multis, & illuſtribus miraculis claruerunt.

*Reſp.* Innocentes pro Chriſto Infantes occiſi ſunt, ab impio tyrano, pueri fratres iugulati ſunt, ipſum ſequuntur Agnum ſine macula. * Et dicunt ſemper: Gloria tibi Domine.

*Verſo.* Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. Et dicunt: Gloria. & Dicunt.

*In tertio Nocturno.*

*Añ.* Neque vocati, neque appellati, Iuſtus, & Paſtor in domũ iudicis properarũt Chriſti fidem confitentes.

*Pſa.* Exultate iuſti.

*Añ.* Qui adhuc lactentis teneritudine agebãtur infantiæ, viri a vires viriliter dimicant. Alleluia.

*Pſalm.*

*Pſalm.* Benedicam Dominum.
*Añã.* Deus adiutor noſter in tribulationibus, propterea non timebimus dum turbabitur terra.
*Pſa*. Deus noſter refugium.
*Verſ.* Iuſti autem in perpetuum viuent.
*Reſp*. Et apud Dominum eſt merces eorum.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum.

*Lectio* vij. *Cap.* 2.

IN illo tempore: Reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ: quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

*Ser. 8. de verb. Dñi. to.* 10.

QVid eſt hoc, fratres? à cõtrario ſenſu intelligite. Abſcondiſti hęc inquit, a ſapiẽtibus, & prudẽtibus: & nõ dixit: Reuelaſti ea ſtultis, & imprudentibus: ſed ait, abſcondiſti quidem a ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea parvulis. Sapiẽtibus, & prudentibus, irridendis arrogantibus falſo grãdibus, vere autem tumentibus, oppoſuit non inſapientes, non imprudentes, ſed parvulos. Qui ſunt parvuli? humiles, Ergo abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus.
*Reſp*. Sacrilegi Præſidis Daciani minas perhorreſcunt viri, infantes contemnunt. * Et per infirma mundi fortia confunduntur.
*Verſ.* Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Et per infirma.

*Lectio* viij.

NOmine ſapientium, & prudentium, ſuperbos intelligi poſſe ipſe expoſuit, cum ait: Reuelaſti ea parvulis, ergo abſcondiſti nõ parvulis. Quid eſt non parvulis? Non humilibus. Quid eſt non humilibus, niſi ſuperbis? O via Domini, aut non erat, aut latebat, vt revelaretur nobis? Vnde Dominus exultauit? Quia reuelatum eſt parvulis; debemus eſſe parvuli: nam ſi voluerimus eſſe magni, quaſi ſapientes, & prudentes, non nobis illud reuelatur.
*Reſp*. Hæc eſt vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine: qui effuſo ſanguine ſecuti ſunt Dominum: * Contemnentes aulã regiam peruenerunt ad regna cæleſtia.
*Verſ.* Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Cõtemnentes.

Glo-

Gloria: Contemnentes.

*N. na lect. hom. Vig. S. Laurētij, ſi vero fuerit Dominica 9. lect. erit de Homil. Dominicæ, & comm. in Laud. Vbi fuerit Titul.*

*Lectio.* ix.

QVi ſunt magni? Sapientes, & prudētes. Dicētes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Habens remedium a contrario, ſi dicendo te eſſe ſapientem, ſtultus factus es, dic te ſtultū, & ſapiens eris. Sic dic & intus dic: quia ſic eſt, vt dicis. Si dicis, coram hominibus noli dicere, & coram Deo non dicere. Prorſus quod ad te ipſum pertinet, quod ad tua tenebroſus es? Quid eſt enim aliud, eſſe ſtultum, niſi eſſe tenebroſum in corde? Denique de illis ſic ait: Dicentes ſe eſſe ſapiētes ſtulti facti ſunt.

Te Deum.

*Ad Laud. & per Hor.*

*Añа.* Iuſtus, & Paſtor fratres pueri, cum Præſidis ſæuitiā viri perhorreſcerent, ſponte ad martyrium cucurrerunt.

*Pſalm.* Dominus regnauit, *Cum Reliq. de Laudib.*

*Añа.* Paſtor, & Iuſtus fratres, cum pueri adhuc litteris imbuerētur, proiectis in ſchola tabellis veram ſapientiā ſunt ſecuti.

*Añа.* Iuſtus Paſtorem alloquitur, noli frater mortem corporis, nec tormenta, quæ nobis parata ſunt, pertimeſcere.

*Añа.* Dixit Paſtor Iuſto fratri libenter me tibi martyrij ſocium prebebo, vt ſimul huius certaminis gloriam conſequamur.

*Añа.* Pueri, & iuuenes, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini. Alleluia.

*Cap.* *Rom. 8,*

Fratres, exiſtimo enim quod non ſunt condignę paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei ſpectat.

*Hymnus.*

SAcra victorum monumenta fratrum
Supplici voto renouamus & te Martyrum
Virtus canimus qui in illis.
Chriſte triumphas.
Hodie duplex tibi conſecratur
Victima, hoſtili temerata cultro,
Vtraque internas animante vires.
Vritur igne.
Vltro ad immitem properat tyrannum,
Vtraque intentos cupit ire in enſes,

Nulla

Nulla vis cogit, iugulum minaci,
Subdere ferro.
Prodeunt vna genitricis aluo,
Tempore ad palmam rapiuntur vno,
Et duplex agnus laniatus, vnam.
Imbuit aram.
Excipe ex noſtris Deus alme templis,
Vota, ſolemni giminata ritu,
Quique adhuc ſtillat veteri recentem.
Morte cruorem.
Gloria æterno genitori, & eius.
Sit coæternæ ſoboli iugiſque
Laus paraclito, qui ab vtroque manat:
Numine ſacro. Amen.
*Verſ.* Exultabunt ſancti in gloria.
*Reſp.* Lætabuntur in cubilibus ſuis.

*Ad Benedictus Añа.*

Super petram, duæ victimæ Chriſto gratiſſimæ, Iuſtus, & Paſtor iugulati ſunt, & corpora eorũ in pace honorificè ſepulta ſunt. Alleluia.

*Oratio.*

DEus lactentium fides, ſpes infantium, charitas puerorum, qui per innocentium tuorum, Iuſti, & Paſtoris laudem, cũctos prouocas, ad ſalutem; infunde in nobis quæſumus, puritatem lactentis infantiæ, vt dum ſenſu iuſtitiæ parvulis adæquamur, in illa remuneratione fidelium, cũ ſanctis pariter gloriemur. Per Dominum noſtrum.

*Commem. Vig. S. Laurentij, & comm. S. Romani Mart.*

*Ad Tertiam.*

*Capit.* *Rom.* 8.

Fratres, exiſtimo enim quod non ſunt. *Vt ſupr.*

*Reſp.* Lætamini in Domino: * Et exultate iuſti. Lætamini.
*Verſ.* Et gloriamini omnes recti corde. Et exultate. Gloria Patri. Lætamini.
*Verſ.* Exultent iuſti in conſpectu Dei.
*Reſ.* Et delectētur in lætitia.

*Ad Sextam.*

*Capit.* *Rom.* 8.

SCimus autem quoniam diligentibu Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundum propoſitũ vocati ſunt ſancti.

*Reſp.* Exultent iuſti, * In conſpectu Dei. Exultent.
*Verſ.* Et delectentur in lætitia In Conſpectu, Gloria Patri Exultent.
*Verſ.* Iuſti autem inperpetuum viuent.
*Reſp.* Et apud Dominum eſt merces eorum.

*Ad Nonam.*

Cap.

*Cap. Rom.* *Rom.* 8.

QVis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculū? an perſecutio? an gladius?

*Reſp.* Iuſti autem in perpetuū viuent. Iuſti.

*Verſ.* Et apud Dominum eſt merces eorum. In perpetuū viuent Gloria. Iuſti.

*Verſ.* Exultabunt ſancti in gloria.

*Reſp.* Lætabuntur in cubilibus ſuis.

*In Secundis Veſp. omnia vt in primis.*

*Aña.* Iuſtus, & Paſtor, *Cum reliq. de Laud.*

*Pſalm.* Dixit Dominus. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri, Credidi.

*a cap. fit de S. Laurentio Mart. comm. SS. Iuſti & Paſtoris.*

*Aña.* Iſti ſunt duo nouelli agni, qui nec minis iudicis deterriti, nec virium teneritate defeſsi, vſque ad mortē tormenta paſsi ſunt. Alleluia.

*Oratio.*

Deus lactentium fides.

---

DIE XXIII. AVGVSTI
In feſto S. Philippi Benicij Confeſſoris.
Semiduplex.

*Omnia de com. Conf. non Pont.*

*Oratio.*

Deus qui nos &c.

*In primo Nocturno, leguntur Lectiones de Scriptura occurrente.*

*IN SECVNDO NOCTVRNO Lectio* jv.

PHilippus ex nobili Beniciorum familia Florentiæ natus Pariſijs medicinæ operam dedit, reverſus in Patriam cum frequens Eccleſiā ſeruorum viſitaſſet, qua die verba ex actibus Apoſtolorū: Philippe accede, & adiunge te ad currum iſtum, legebantur, actus in extaſim in aureo curru, quem ovis, & leo trahebant, Sanctiſsimā Dei genitricem Angelis comitantibus inſidentem vidit, à qua ſequenti nocte ſervos ſuos adire iuſſus, Bonfilium vnum ex ſeptem Ordinis Fundatoribus Priorem adit, oratque ab eo inter conuerſos recipi. Receptus vitam aliquandiù in monte Senario in ſpelunca ſolitariam duxit. Factus Sacerdos, & poſtea Prior Generalis, licet inuitus, huiuſmodi munus decem, & octo annos ita miniſtrauit, vt in Italia, & alibi multis extructis Monaſterijs Ordinem maxime propagarit, viſitando, & predicando Emdam vſque Friſiæ Orientalis vrbem peruenit

ſtenit multis ab hæreſi,& alijs vitijs per diuerſa loca conuerſis. Diſsidentium paci,& errantium ſtudit emendationi. Piſtorij, & Florentiæ ſeditionibus,inter Guelphos,& Gibellinos ſedatis, Forolinentibus quod à Martino,IV.Pōtif.Max.defeciſſent,inter cōcionadū reprehenſis ab illis verberibus affectus eſt, ex quibus Peregrinus vnus ex percuſſoribus eamdem Religionem ingreſſus mira ſanctitate claruit.

*Reſp.* Honeſtum fecit.

*Lectio. V.*

PLura viuens edidit miracula. Ad Curiam pergens leproſum nudum ad Camilianum agri Senenſis vicum propria veſte indutum, ſtatim à lepra mundauit,quo miraculo peruulgato dum Viterbij Clemēte IV. è viuis ſublato Cardinales de ſucceſſore deligendo diſsiderent, nonnullis Philippum ad Pontificatum proponentibus,ipſe fugiens apud montem Tuniatum delituit, vbi balneis ( quæ adhuc Sancti Philippi nominantur ) morbos ſanandi virtutem impetrauit. Arretij Fratribus fame penè cōfectis,dum ille ad imaginem Sanctiſsimæ Dei genitricis orat, ecce duo cophini candidiſsimorum panum pleni ad Monaſterij ianuam diuinitus delati. Cum in Germaniam prædicandi Euangelij cauſa a Rudolpho Imperatore inuitatus proficiſceretur apud Lavinum agri Bononenſis amne ſub arboris vmbra ob æſtum diuerſatus,non nullis Deum blaſphemantibus diuinam prædixit vltionem, quæ illos ſtatim,ac ab eis receſsit,de cœlo tactos, igneq; conſumptos ſecuta eſt. Ex Germania rediens, nemuſq inextricabile ingreſſus, cum ſocij inedia triduo afflicti vlterius progredi non poſſent, ipſe ad orationem cōfugiens panem, & aquam,quibus recrearentur, inuenit.

*Reſp.* Amauit eum.

*Lectio. VI.*

TVdertum veniens meretricibus ſibi in via auſis illudere,ſic perſuaſit, vt in Monaſterio apud Carſulā recluſæ perpetuam pœnitentiam egerint. In Vrbis ingreſſu totam ciuitatem ſibi tanquam Patri obuiā habuit, Eccleſiam ingreſſus,cum quaſi diuinans illa verba: hæc requies mea,pronunciaſſet;paulo poſt in feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis in morbum incidit, ex quo octauo die Fratres ad obſeruantiam

hortatus, ſacriſque munitus Decimo Kalendas Septemb. anno ſalutis milleſimo ducenteſimo Septuageſimo quinto animam Deo reddidit, multis miraculis ſubſecutis: nam mulier manibus pedibuſque contracta, vt Sacrum attigit corpus, domum incolumis remeauit. Cæcus ad eius tumulum deductus viſũ illico recepit. Puer à lupo ſtrangulatus ad vitam reuocatur. Mulier quæ, & miracula negare, & ſervum Dei irridere præſumpſerat, muta effecta, dum reſipiſcens veniam precatur loquendi recuperat facultatem. Vnicus viduæ Filius ex diutino morbo defunctus, dum illa Philippi opem implorat rediuiuus ſurgit, illum ſibi ſucurriſſe teſtatus, ſtupentibus, qui vt matrem ſolarentur, advenerãt. Quare Leo X. Pontifex Maximus cognita viri ſanctitate; cum illum grauiſsimis curis impeditus in Sanctorum numerum referre non potuiſſet, vt in toto Ordine ritu duplici coleretur, indulſit. Paulus V. lectiones ex eius vita probauit, Tudertibuſque ita colendi poteſtatem fecit, quod, & Vrbanus VIII. Florentinæ Ditionis Epiſcopis in ſtatu veteri conceſsit.

*Reſp.* Iſte homo.

*In Tertio Nocturno.*

*Legitur homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri in Euangelium.* Nolite timere puſillus grex, *Vt in communi ſecundo loco.*

*Lect. IX. Vig. & com.*

---

DIE XXX. AVGVSTI Officium proprium S. Roſæ à S. Maria Virginis Limanæ, Tertij Ordinis Sancti Dominici. Dup. 1. C.

*Omnia de comm. Virgin. præter Orationem, & Lectiones Secundi Nocturn.*

*Oratio.*

BOnorum omnium largitor, omnipotens Deus, qui beatam Roſam cœleſtis gratiæ rore præuentam, virginitatis, & patientiæ decore Indis floreſcere voluiſti: da nobis famulis tuis, vt in odorẽ ſuauitatis eius currentes Chriſti bonus odor effici mereamur. Qui tecum.

*Lectiones Primi Nocturni de Virginibus Vt in com.*

*Lectio. jv.*

PRimus Americæ Meridionalis flos ſanctitatis Virgo Roſa Chriſtianis parẽtibus Limæ progenita, mox ab incunabulis claruit futuræ ſanctimoniæ indicijs: nam vultus infantis mirabiliter in Roſæ effigiem transfiguratus

tus huic nomini occaſionem dedit, cui poſtea Virgo Deipara cognomen adiecit, iubens vocari deinceps Roſam a Sancta Maria. Quinquennis votum perpetuæ virginitatis emiſit. Adultior, ne a parentibus ad nuptias cogeretur, clam ſibimet venuſtiſsimam capitis cæſariem præcidit. Ieiunijs ſupra humanũ modum addicta, integras Quadrageſsimas trãſegit pane abſtinens, ac dietim ſolis quinque granulis mali citrini victitans.

*Lectio.* v.

HAbitu Tertij Ordinis Sancti Dominici aſſumpto, priſtinas vitæ auſteritates duplicauit, oblongo, aſperrimoque cilicio ſparſim minuſculas acus innexuit, ſub velo coronam denſis aculeis introrſus obarmatã, interdiu noctuque geſtauit. Sanctę Catharinæ Senenſis ardua præmens veſtigia catena ferrea triplici nexu circunducta, lumbos cinxit. Lectulum ſibi è truncis nodoſis compoſuit, horumque vacuas commiſſuras fragminibus teſtarum impleuit. Cellulam ſibi anguſtiſsimam ſtruxit in extremo horti angulo, vbi cæleſtium contemplationi dedita, crebris diſciplinis, inedia, vigilijs corpuſculum extenuans: at ſpiritu vegetata, laruas dęmonum frequenti certamine victrix, impauide protriuit, ac ſuperauit.

*Lectio.* vj.

ÆGritudinum tormentis, domeſticorum inſultibus, linguarum morſibus dirè agitata, nondum ſatis pro merito ſe affligi quærebatur. Per quindecim annos ad pluſculas horas deſolatione ſpiritus, & ariditate miſerrimè contabeſcens forti animo tulit agones omni morte amariores. Exinde cępit ſupernis abundare delicijs, illuſtrari viſionibus colliqueſcere ſeraphicis ardoribus. Angelo tutelari, Sanctæ Catharinæ Senenſi, Virgini Deiparæ inter aſsiduas apparitiones mire familiaris a Chriſto has voces audire meruit. Roſa cordis mei tu mihi Sponſa eſto. Denique Sponſi huius Paradiſo fæliciter inuectam, plurimiſquè ante & poſt obitum miraculis corruſcam, Clemẽs Decimus Pontifex Maximus Sanctarum Virginum Catalogo ritu ſolemni adſcripſit.

*In Tertio Nocturno.*

*Euangelium*: Simile erit regnum cælorum decem virginibus.

*Homil. S. Gregorij Papæ. De*

*Commun. Virg.*

*Miſſ. de Commun. Virg.* Dilexiſti iuſtitiam, &c.

*Cum Orat. Prop.*

---

## DIE XXXI. AVGVSTI

Secunda die Infraoct.

S. Roſæ Virgin.

*Fit de S. Raymundo Nonnato Cōf. dup. vt in Breu. com. Octau.*

---

## DIE I. SEPTEMBRIS.

Tertia Die infraoctau.

S. Roſæ Semid:

*Lect. Prim. Noct. de Script. occurrent.*

*In Secundo Nocturno.*

*De Serm. S. Ambroſij Epiſc. lib. 1. de Virg. ante med.*

*Lectio* iv.

EGo licet laudationem nō ſuſceperim virginitatis, ſed expreſsionem: ad rem tamē pertinere arbitror, vt quæ ſit ei patria, quis auctor appareat. Ac prius vbi ſit patria, definiamus. Si enim ibi eſt patria, vbi genitale domicilium: in cælo profecto eſt patria caſtitatis, itaque hic aduena, ibi incola eſt: Quid autem caſtitas virginalis, niſi expers contagionis integritas? Atque eius auctorem, quem poſſumus exiſtimare, niſi immaculatum Dei Filiū, cuius caro non vidit corruptionem, diuinitas non experta contagionem?

*Lectio.* v.

VIdete igitur, quanta virginitatis merita ſint. Chriſtus ante virginem. Chriſtus ex virgine, a Patre quidem natus ante ſæcula, ſed ex virgine natus ob ſæcula. Illud naturæ ſuæ, hoc noſtræ vtilitatis eſt illud erat ſemper, hoc voluit expectare aliud virginitatis meritū. Chriſtus virginis Sponſus, & ſi dici poteſt; Chriſtus virgineæ caſtitatis. Virginitas enim Chriſti, non virginitatis eſt Chriſtus. Virgo eſt ergo quæ nupſit, virgo quæ nos ſuo vtero portauit, virgo quæ genuit, virgo quæ proprio lacte nutriuit, ſed iam a matre deſcendamus ad filias.

*Lectio* vj.

DE virginibus, inquit Apoſtolus, præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Si Doctor gentium non habuit, habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit, ſed habuit exemplum. Non enim imperari poteſt virginitas, ſed optari. Nam quæ ſupra nos ſunt in voto magis, quā in magiſterio ſunt: ſed volo vos, inquit, ſine ſolicitudine eſſe: nam qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quę Domini ſūt,

que-

quomodo placeat Deo. Et virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Non ego quidem diſſuadeo matrimonium, ſed virginitatis attexo beneficium.

*In Tertio Nocturno.*

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum.

*Lectio.* vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile erit regnum cęlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiã ſponſo, & ſponſæ. Et reliqua.

Homil. S. Hieronymi Presbyt.

*Lib. 4. in Math. cap. 25.*

HAnc parabolam quidem ſimpliciter in virginibus interpretantur; quarum aliæ iuxta Apoſtolum, & corpore, & mente ſunt virgines; aliæ virginitatem tantũ corporum reſeruantes, vel cætera opera non habent propoſito ſuo ſimilia, vel parentum cuſtodia reſeruatę, nihilominus mente nupſerunt, ſed mihi videtur ex ſuperioribus alius ſenſus eſſe, qui dicitur, & nõ ad virginalia corpora, ſed ad omne hominum genus comparatio pertinere.

*Lectio.* viij.

QVi idcirco omnes virgines appellantur: quia gloriantur in vnius Dei notitia, & mens eorũ idololatriæ turbine non conſtupratur. Oleum habent virgines, quę iuxta fidem, & operibus adornantur: nõ habent oleũ, quæ videntur ſimili quidem fide Dominum confiteri, ſed virtutum opera negligunt. Poſſumus quinque virgines ſapientes, & ſtultas quinque ſenſus interpretari, quorum alij feſtinãt ad cæleſtia, & ſuperna deſiderant: alij terrenis fæcibus inhiantes, fomenta non habent veritatis, quibus ſua corda illuminent.

*Lectio ix. & comm. S. Ægidij Abb. & comm. SS. duodecim Fratrum, vt in Breu.*

DIE II. SEPTEMBRIS, IV. Die Infraoctauæ S. Roſæ.

*In Secundo Nocturno.*

*Serm. S. Maximi Epiſcopi in Nat. S. Agnetis.*

*Lectio.* iv.

CVm toto mundo virgineus flos Mariæ immarceſcibiles coronas innectit, & ſceptrigeram pudoris aulam immaculato conſeruet affectu; eo vſque integritas perſeuerauit ad palmam,

mam, vt in puellis trophęum ſanctitatis arriperet, & per veſtigia matris virginis ad cæleſtem thalamum perueniret. O quam imitabile virginibus, Virgo Roſa tu amoris tradidiſti exemplum. O quã ſanctum pectoribus dandum virgineis tribuiſti reſponſum contemnendo mundi diuitias, execrando carnis cõcupiſcentias, & ſolam Chriſti pulchritudinem adamando. Accedite ad puellam puellę, & diſcite quales in pectore ſuo circa amorem Chriſti flammas accendit. Diſcite virgines Chriſti amorem in ea feruentem, & omnes mundi diuitias, velut ſtercora recuſantem.

*Lectio. V.*

IDeo enim ſanctorum per litteras traduntur exempla, vt vnuſquiſq̃ pro qualitate ſexus, modum ſui propoſiti teneat, & ſicut per virginem virgines, ita per coniungem coniuges vince re ſæculum pro Chriſti amore ſtudeant; ac repugnatione animi mundi dulcia recuſantes, & eius non recuſantes auſtera, ad delectationes perpetuas, & ad gaudia æterna pertingant. Hæc dicentes nõ vituperamus coniugũ caſta commercia, ſed virginũ perſeuerantiam adornamus. Nõ enim virginitas malis rebus ſuperponenda eſt, ſed eſt rebus optimis præferenda, quę enim mundis mundior & ſanctis eſt ſanctior, non indiget malarum rerum vituperatione laudari. *Lectio. XI.*

VEni iam virgo ad thalamum, quem quæſiſti, vt ſponſã te virginitas immaculata comprobet Chriſti. Felix caterua virginum, quibus ſtudium eſt tuæ ſequi confeſsionis veſtigia. Habebunt enim tecum coronam in cælo, quæ tecum ſuperaue runt inimicum in mundo. Nam ſicut tibi veſtigia proſequenti participatio æternę remunerationis apparuit; ita eis te imitãtibus æterna credimus gaudia nõ negãda. Itaque ò ſplendida Chriſto, Dei Filio, & omnibus Angelis, atque Archangelis grata, vt noſtri meminiſſe digneris, quibus poſſumus precibus exoramus: vt nobis ille tribuat indulgentiã, qui tibi tuorũ omniũ laborũ tradidit palmam.

*In Tertio Nocturno.*

Lectio S. Euangelij ſecundum Mathæum.

*Lectio VIII.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolã hanc: Simile erit regnum cęlorum

lorum, decē virginibus, quę accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. Et reliqua.

*Hom. S. Ioann. Chriſoſt. 79. in Matt. post init.*

QVam ob cauſam in perſona virginum hanc parabolam profert, nec qualécumque perſonam ſine diſcrimine ſubijcit? Magna quædam de virginitate diſſeruerat, dicens: Sunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerūt propter regnum cælorum. Et qui poteſt capere capiat. Nec ignorabat de virginitate magnam eſſe vulgo exiſtimationem, quippe cum ſit ea res natura ſublimis: quod inde patet, quia neque in veteri teſtamento à priſcis illis, ſanctiſquè viris culta fuit, & in nouo nulla legis neceſsitate iubetur; non enim id imperauit, ſed fidelium voluntati permiſit. Vnde & Paulus ait: De virginibus autē præceptum Domini non habeo, & laudo quidem eum qui hoc ſectatur inſtitutum, nolentē autem non cogo, neque eam rem præceptum facio.

*Lectio. VIII.*

QVoniam igitur, & magna res erat, & de ea apud multos magna erat exiſtimatio; ne quis ea perfecta ſe totum perfeciſſe putaret, ac cætera negligeret, hanc parabolam poſuit, vt oſtenderet, virginitatem, quamuis cætera habeat, ſi miſericordiæ bonis caruerit, cū fornicatoribus eijci. Ac merito quidem inhumanum, ac miſericordia carentem cum illis collocat. Fornicator enim corporum, iſtæ vero pecuniarum cupiditate vincuntur. Non eſt autem corporū, & pecuniæ par cupiditas: ſed acrior multo, atque vehementior illa corporum eſt. Quanto igitur cum imbecilliore luctantur tanto minus venia dignæ ſunt, ſi vincantur. Idcirco etiā fatuas appellauit, quoniam maiori certamine ſuperato, in faciliore totum perdiderunt. *Lectio. IX.*

LAmpades autē hoc loco illud ipſum virginatis donum appellat, ſanctimoniæ puritatem: oleum vero benignitate eleemoſynam, impenſum indigentibus auxilium. Tardante autē ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Non paruum temporis rurſus ſpatium intericctum oſtendit, vt diſcipulos regnū ipſius mox futurum expectantes, ab ea opinione deduceret: id enim illi ſperabant: quapropter cre-

bro

bro ab huiuſmodi eos ſpe revocat. Ad hoc illud quoque indicat, ſomnum quemdam eſſe mortem: Dormierunt, inquit, media autem nocte clamor factus eſt; vel vt in eadem parabola perſiſtat; vel rurius oſtendit in nocte futuram eſſe reſurrectionem Clamorem etiam Paulus commemorat, dicens: In iuſſu, in voce Archangeli, in nouiſsima tuba deſcendet de cælo.

Te Deum.

---

DIE III. SEPTEMBRIS.

V. DIE INFRA OCTAV. S. Roſæ.

*In ſecundo Nocturno.*

*Tres lectiones S. Cipriani Epiſc. & Mart. de diſciplina, & habitu Virginum*: Nunc nobis ad Virgines. &c. *Vt in Breu. de Commun. Virg.*

*In Tertio Nocturno.*

Lectio S. Euangelij ſecundũ Matthæũm.

*Lect. o. VII.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiã ſponſo, & ſponſæ: Et reliqua.

*De Homil. S. Ioann. Chryſoſt.*

POſt ingentes labores, poſt incredibiles ſudores, & acerrimas pugnas, poſt trophæa, quæ de naturæ rabie ſtatuerunt, reſurgunt cũ decore, & lampadibus earum extinctis terram aſpicientes recedunt. Nihil ſane tenebroſius eſt quam virginitas oleo carens; vnde ſic vulgo multi immiſericordes tenebroſos ſolent appellare; quid igitur ex virginitate lucratæ ſunt, quæ nec ſponſum quidem viderunt, ſed terribile illud verbum audiuere: Abite, neſcio vos.

*Lectio. VIII.*

QVod cum ipſe dixerit, nihil illud, quam gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur: imo vero etiam gehenna, iſtud verbũ grauius eſt: hoc verbum operantibus etiam iniquitatem; dixit: Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam, crebro id repetit, vt ignorantiã exitus ab hac vita vtilẽ eſſe oſtendat. Vbi ſunt ergo, qui per totam vitam deſidia torpeſcunt, & quãdo a nobis ad monentur, reſpondere non dubitant, omnia ſe pauperibus moriendi tempore relicturos? *Lectio. IX.*

AVdiant hæc verba, & emẽdent ſe: multi enim abeun-

abeundi tempus expectantes, ita repente rapti ſunt, vt nec iniungere ſuis quidquam potuerint. Sed hæc quidem parabola eius eleemoſynæ gratia, quæ cum pecunia cõficitur, dicta eſt. Cur autem hæc parabola ſponſũ adducit? Vt videas quantum virginibus Chriſtus afficitur ijs, quæ ſua pauperibus erogant: hæc enim, & vera virginitas eſt. Nam & Paulus huic rei hanc deſcriptionem attribuit, dicens: Innupta ſollicita eſt de ijs, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.

Te Deum.

---

## DIE IV. SEPTEMBRIS.

## VI. DIE INFRA OCTAV. S. Roſæ.

*Serm. S. Auguſtini Episc.*

De S. Virginit. cap. 2.

*Lectio. IV.*

CVm vniuerſa Eccleſia virgo ſit deſpõſata vni viro Chriſto, ſicut dicit Apoſtolus, quanto digna ſunt honore membra eius, quæ hoc cuſtodiunt, etiam in ipſa carne: quod tota cuſtodit, in fide, quæ imitatur matrem viri & Domini ſui? nam Eccleſia quoque, & virgo, mater eſt: cuius enim integritati conſulimus, ſi virgo non eſt? Aut cuius prolem alloquimur, ſi mater non eſt? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Eccleſia ſpiritualiter mẽbra illius capitis parit. In vtraque virginitas fœcunditatem non impedit, in vtraque fecunditas virginitatem non adimit.

*Lectio. V.*

VIrginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas Angelica portio eſt, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia cõiugalis: illa nõ eſt in poteſtate, illa non eſt in æternitate. Fœcunditatẽ carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam coniugalem non habet cælum. Profecto habebunt magnum aliquid preter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne.

*Lectio. VI.*

SEquimini Agnum, quocũque ierit, ſcripſit ille de vobis. Quo ire putamus hũc Agnum? quo nemo eum ſequi, vel audeat, vel valeat, niſi vos virgines, quo putamus

mus eum ire in quos ſaltus, & prata, vbi, credo, ſunt grandia gaudia, nec gaudia qualia in ipſo regno Dei cęteris non virginibus erunt, ſed à cæterorum omniũ gaudiorum forte diſtincta. Gaudium virginum Chriſti, eſt de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtũ. Gaudia propria virginum Chriſti, non ſunt eadem nõ virginum, quamuis Chriſti: nam ſunt alijs alia, ſed nullis talia. Ite in hæc, ſequimini agnum, quia & agni caro vtique virgo: Sequimini virginitate cordis, & carnis quocumque ierit; quid eſt eum ſequi, niſi imitari?

*In Tertio Nocturno,*

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum.

*Lectio. VII.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lãpades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. Et reliqua.

*Homil. S. Auguſtin. Epiſcop. Ser. 23. de verb. Dom. cap. 2.*

INtelligamus, chariſsimi, ad omnes nos, id eſt, ad vniuerſam omnino Eccleſiã, iſtam pertinere parabolam, non ad ſolos præpoſitos, nec ad ſolas plebes, ſed prorſus ad omnes. Quinque iſtæ, & quinque virgines, omnes omnino ſunt animæ Chriſtianorum: ſed vt dicamus vobis quod Deo inſpirante ſentimus, non qualeſcumque animę, ſed tales animæ, quæ habent catholicam fidem, & habere videntur bona opera in Eccleſia Dei, & tamen ex ipſis quinque ſunt prudentes, & quinque fatuæ.

*Lectio. VIII.*

QVare ergo apellatæ ſunt quinque, & quare virgines, prius videamus. Omnis anima in corpore ideo quinario numero cenſetur, quia quinque ſenſibus vtitur: qui ergo ſe abſtinet ab illicito viſu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito guſtatu, ab illicito tactu, propter ipſam integritatem virginis nomen accipit. Sed ſi bonum eſt abſtinere ab illicitis ſentiendi motibus, & ideo vnaquęque anima Chriſtiana virginis nomẽ accipit: quare quinque admittuntur, quinque autem repelluntur?

*Lectio. IX.*

ET Virgines ſunt, & repelluntur. Parum eſt, quia virgines ſunt, & lampades habent: virgines propter

abſtinentiam ab illicitis ſenſibus, lampades habent propter opera bona. De quibus operibus Dominus dicit: luceant opera veſtra corā hominibus. Item diſcipulis dicit: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. In lumbis accinctis virginitas, in lucernis ardentibus opera bona. Si ergo ab illicitis abſtinentia bona eſt, vnde virginitas nomē accepit, & opera bona laudabilia ſunt, quæ ſignificantur lampadibus: quare quinque admittuntur, & quinque repelluntur? Te Deum.

---

## DIE V. SEPTEMBRIS.

## VII. DIE INFRA OCTAV. S. Roſæ.

*Serm. S. Fulgentij. Epiſc.* Ep. 3 ad Probam. cap. 4.

*Lectio. IV.*

TAm magnum Deus voluit eſſe bonum virginitatis, vt illud nō aliūde, ſed ex vocabulo dignaretur nominare virtutis. Virginis itaque ſi quis velit diligenter conſiderare vocabulum, ex virtutis inueniet nomine deriuatū. Virgo enim dicitur, quaſi virago. Viraginem vero Scriptura ſancta non ob aliud vocatam dicit, niſi quia de viro ſumpta eſt, Dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hęc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Itaque cum virginis nomen ex nomine viri deſcenderit, quis dubitet, quod vir à virtute vocatus ſit?

*Lectio. V.*

ET quia ſicut Paulus docet, illa omnia in figura facta ſunt noſtri, profecto in illa virgine, quæ ex viri fiebat coſta, futura iam tunc præfigurabatur Eccleſia, quæ vere de viro ſumpta, & de quo ſūpta, illi coniuncta, inde habet in veritate virtutem, vnde habet verum viraginis nomen. Propter quod hanc viraginem, id eſt virginē, quæ de viro ſumpta eſt, non ſolū virginis, ſed etiam viri nomine Paulus nō dubitat appellare. At enim fidelibus: Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Chriſtus eſt quippe vir, de quo hæc virgo ſūpta eſt.

*Lectio. VI.*

TYpice itaque a viro dicitur virginis vocabulum, quia nomen a Chriſto dicitur Chriſtianum. Chriſtus enim Dei virtus eſt, & Dei ſapientia, ex quo eſt Eccleſia,

cleſia, quæ virgo in fide, & charitate perſiſtens, & ſapiẽtiam poſsidet, & virtutem: Quæ cum in diuerſis membris ſuis habeat donationes, ſecundũ gratiã, quæ data eſt ei, differentes, maiorẽ tamen gratiam donationis in illis mẽbris accepit, in quibus ita ſpiritualiter virgo dicitur, vt etiã corporeę virginitatis integritate potiatur. In his enim, in quibus ſic fidem cuſtodit rectam, vt etiam carnem ab omni concubitu reſeruet intactam, quanto pleniorem habet virginitatem, tanto plenius, & perfectius eiuſdem virginitatis poſsidet nomem.

*In Tertio Nocturno.*

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum.

*Lectio vij.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virginibus, quę accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. Et reliqua.

*De Homil. S. Auguſtin. Epiſc.*

ALias dixit prudentes, alias ſtultas. Vnde intuemur? Vnde diſcernimus? De oleo. Aliquid magnum ſignificat oleum valde magnum: Putas non charitas eſt? Quærendo dicimus, non ſententiam pręcipitamus: Vnde mihi videatur per oleum charitas ſignificari, dicam vobis. Apoſtolus dicit: Adhuc ſupereminentiorem vobis viam demonſtro. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens. Ipſa eſt ſupereminens via, id eſt, charitas quę merito oleo ſignificatur, omnibus enim humoribus oleum ſupereminet.

*Lectio viij.*

QVid ergo, fratres? Iam diſceptemus de quinque virginibus prudentibus, quinque fatuis. Voluerunt obuiã ire ſponſo. Quid eſt, ire obuiam ſpõſo? Corde ire expectare eius aduentũ: ſed ille tardabat. Dum tardat ille, dormierunt omnes: Quid eſt ſomnus ille? Ne forte tardante ſponſo, quoniam abundat iniquitas, refrigeſcat charitas multorum: Sic cine intellecturi ſumus iſtũ ſomnum? Non mihi placet, quia ſunt ibi prudentes: Et vtique quando dixit Dominus, refrigeſcet charitas multorum, ſubiecit, & ait. Qui autem perſeueraverit vſque in finem hic ſaluus erit. Non ergo eis obrepſit frigus charita-

rita-

ritatis, non in eis refriguit charitas, ſed feruet vſque in finem.

*Lectio. ix.*

EST alius ſomnus, quem nemo euadit: Non recordamini Apoſtolum dicentem: De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres, id eſt: de his, qui mortui ſunt? Fatua ſit virgo, prudens ſit Virgo, ſomnum mortis omnes patiuntur. Ad nouiſsimam tubam ſurgent omnes. Prudentes autem illæ tulerunt oleum ſecum in vaſis ſuis: ſtultæ vero illæ nõ tulerunt oleum ſecum: Ibi oleum, magnum oleum. De dono Dei eſt hoc oleum. Tu ergo tecum porta, intus porta, vbi videt Deus: ibi porta teſtimoniũ conſcientiæ tuæ, qui autem ambulat ad teſtimonium alienum, oleum nõ portat ſecum. Te Deum.

---

DIE VI. SEPTEMBRIS.
Die Octau. S. Roſæ. Virg. Dup.

*In Secundo Nocturno.*

De Epiſt. S. Hieron. Presb. ad Euſtochium.

*Lectio. iv.*

DE virginibus, inquit Apoſtolus, pręceptum Domini non habeo: Cur? Quia & ipſe vt eſſet virgo non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis; neque enim audiendi ſunt, qui eum vxorẽ habuiſſe confingunt, cum de continentia diſſerens, & ſuadens perpetuam caſtitatem, intulerit: Volo autem omnes eſſe, ſicut me ipſum, & infra: Dico autem innuptis, & viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permaneãt ſicut & ego. Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? Quia maioris eſt mercedis, quod non cogitur, & offertur, quia ſi fuiſſet virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ, & duriſsimum erat contra naturam cogere, Angelorumquè vitam ab hominibus extorquere.

*Lectio. v.*

ALia fuit in veteri lege felicitas: ibi dicitur beatus, qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Ieruſalem: & maledicta ſterilis, quę non pariebat. Et filij tui ſicut nouellæ oliuarũ in circuitu menſæ tuæ. Vacuus erat orbis, & vt de typicis taceam; ſola erat benedictio liberorũ. Propterea & Abraham iam ſenex Ceturæ copulatur, & Iacob mandrageris redimitur, & concluſam vuluam in Eccleſiæ figurã Rachel conquiritur. Paulatim vero in

cref-

creſcente ſegete, meſſor immiſſus eſt. Virgo Elias, Eliſeus virgo, Virgines multi filij prophetarum. Ieremiæ dicitur: Et tu ne accipias vxoré. Sanctificatus in vtero captiuitate propinqua, vxoré prohibetur accipere. Alijs verbis id ipſum Apoſtolus loquitur. Exiſtimo hoc bonũ eſſe propter inſtantem neceſsitatem: quæ eſt iſta neceſsitas, quæ aufert gaudia nuptiarũ? Tempus breuiatum eſt. In proximo eſt Nabuchodonoſor.

*Lectio.* vj.

INueniebatur ergo, vt diximus in viris tantum hoc continentiæ bonum, & in doloribus iugiter Heua partu riebat. Poſtquam vero virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deũ fortem, patrem futuri ſeculi: Soluta maledictio eſt, mors per Heuam, vita per Mariam. Ideoquè & ditius virginitatis donum fluxit in fæminas, quia cæpit à fæmina: ſtatim vt filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos, & in terris. Tunc Holofernis caput Iudith continens amputauit. Tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, ſuo combuſtus eſt igni. Tunc primum auditum eſt. Quæ non eſt nupta cogitat, quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.

*In Tertio Nocturno.*

Lectio S. Euangelij ſecundum Mattheum.

*Lectio.* vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt, obuiam ſponſo, & ſponſæ. Et reliqua.

*De Homil. S. Auguſt. Epiſc.*

INtendat itaque charitas veſtra. Sapientium lampades ardebant de oleo æterno, de conſcientię ſecuritate, de interiore gloria, de intima charitate. Ardebant tamen & illarum fatuarum: quare tunc ardebant? Quia non deerant laudes hominũ. Poſtea vero quam ſurrexerunt, id eſt, in reſurrectione a mortuis, cæperunt aptare lampades ſuas, id eſt, parare, Deo operum ſuorum reddere rationem. Et quia tunc nemo eſt, qui laudet, omnis homo cauſæ ſuæ vacat; non erant, qui oleum venderent, cæperunt deficere lampades.

*Lectio.*

*Lectio.* viij.

CLauſum eſt oſtium, & quid illis dictum eſt? Nō noui vos, non illas nouit. Qui omnia nouit? Quid ergo eſt, non noui vos? Improbo vos, reprobo vos: in arte mea non vos agnoſco, ars mea neſcit vitia: hoc eſt autem magnum, & neſcit vitia, & iudicat vitia: neſcit faciendo, iudicat arguendo. Sic ergo nō noui vos: ierunt, intrauerunt quinque prudentes. Sint in vobis quinque prudentes ad iſtam prudentiam quinarij numeri pertinentes. Veniet enim hora, & quando neſcimus, veniet. Sic clauſit Euāgelium: Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.

*Lectio.* xi.

COrde vigila, fide vigila, ſpe vigila charitate vigila, operibus vigila, & quando corpore dormieris, venit tēpus, vt ſurgas: cū autē ſurrexeris, prepara lampades: tunc non extinguātur, tunc in interiore conſcientiæ oleo vegetentur: tunc ſponſus ille incorporeis nexibus amplectatur, tunc te introducat in domum, vbi numquam dormias, vbi numquam poſsit tua lampas extingui. Hodie verò laboramus, & lampades noſtræ inter ventos ſæculi huius, tentationeſque fluctuant: ſed ardeat in robore flamma noſtra, vt ventus tentationis augeat ignem potius, quam extinguat.

Te Deum.

---

DIE DOMINICA Infraoct. Natiuit. B. M. V. Officium de Sanctiſsimo Nomine B. Mariæ Virginis.

Dup. Maius.

*Ad Veſperas.*

*Aña.* Dum eſſet Rex, &c. *Cum reliq. Anis. & Pſalm. vt in Offic. parn. B. M.*

*Capit.* Ab initio, &c.

*Hymn.* Aue Maris ſtella, &c.

*Verſ.* Dignare me laudare te, Virgo ſacrata. ℞. Da mihi virtutē contra hoſtes tuos.

*Aña.* Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillamines, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tui Sancti nominis commemorationem.

*Oratio.*

COncede, quæſumus, Omnipotens Deus, vt fideles tui, qui ſub Sanctiſsimæ Virginis Mariæ Nomine,

mine, & protectione lætantur: eius pia interceſsione, a cunctis malis liberētur in terris, & ad gaudia æterna peruenire mereantur in cælis. Per Dominum.

*Ad Matutinum inuitat.*

Sancta Maria Dei Genitrix Virgo. * Intercede pro nobis.

*Pſalm.* Venite exultemus.

*Hymn.* Quem terra, pontus.

*Aña. Pſalm. & Verſ. Noct. vt in Offic. paru. B. M.*

*In I. Nocturn.*

*Lectiones de parabolis Salomon.* Ego ſapientia, &c. *cum Reſpõſorijs, vt in feſt. S. Mariæ ad Niues.*

*In II. Nocturno.*

Serm. Sancti Bernardi Abb.

*Ex Homil. 2. ſuper miſſus eſt circa finem.*

*Lectio. IV.*

ET nomen, inquit, Virginis Maria. Loquamur pauca, & ſuper hoc Nomine, quod interpretatum maris Stella dicitur, & Matri Virgini valde conuenienter aptatur. Ipſa namquè aptiſsimè ſyderi comparatur. Quia ſicut ſine ſui corruptione ſydus ſuum emittit radiũ, ſic abſque ſui læſione Virgo parturit Filium. Nec ſyderi radius ſuam minuit claritatẽ, nec Virgini Filius ſuam integritatem. Ipſa eſt igitur nobilis illa Stella ex Iacob orta, cuius radius vniuerſum orbẽ illuminat; cuius ſplendor, & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mẽtes, quã corpora: fouet virtutes, excoquit vitia. Ipſa, in quam, eſt præclara, & eximia Stella ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſario ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis.

*Lectio. V.*

O Quiſquis te intelligis in huius ſæculi profluuio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quam per terram ambulare: Ne auertas oculos a fulgore huius ſyderis, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice Stellam, voca Mariam. Si iactaris ſuperbiæ vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice Stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis

nis abyſſo, cogita Mariam.
*Reſp.* Quæ eſt iſta &c.

*Lectio VI.*

IN periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde; & vt impetres eius orationis ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum: Ipſam ſequens, non deuias; ipſam rogans, non deſperas; ipſam cogitans, non erras: Ipſa tenente, non corruis; ipſa protegente, non metuis: Ipſa duce, non fatigaris; ipſa propitia, peruenis; & ſic in temetipſo experiris, quam merito dictum ſit: & Nomen Virginis Maria. Quod quidem Venerabile Nomen, iam pridem in quibuſdam Chriſtiani Orbis partibus ſpeciali ritu cultum, Innocentius Vndecimus Romanus Pontifex, ob inſignem victoriam ſub eiuſdem Virginis Mariæ præſidio de immaniſsimo Turcarum Tyranno ceruicibus Populi Chriſtiani inſultante Viennæ in Auſtria partam, & in perenne tanti beneficij monumentum, in Eccleſia vniuerſali ſingulis annis Dominica infra octauam Natiuitatis Beatæ Virginis Mariæ celebrari præcepit.

*Reſp.* Ornatam &c.

*In Tertio Nocturno.*

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam.

*Lectio VII.*

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Ex Homilia S. Petri Chryſologi.

*Serm. 142. de Annunciat.*

AVdiſtis hodie, fratres chariſsimi, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audiſtis agi, vt homo curſibus eiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de ſalute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina. Audiſtis Angelum de carnis noſtræ limo Templum Diuinæ Maieſtatis arte ineffabili conſtruentem. Audiſtis in terris Deum, in cælis hominem Sacramento incomprehenſibili collocari. Audiſtis inaudita ratione in vno corpore Deum hominemquè miſceri. Au-

diſtis fragilem noſtræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari.

*Reſp.* Felix namque &c.

*Lectio VIII.*

DEnique ne tanto ponderi cæleſtis fabricæ in Maria ſubtilis noſtri corporis arena ſuccumberet, & in Virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli mox præceſsit, dicens: Ne timeas, Maria. Ante cauſam dignitas Virginis annunciatur ex Nomine; Nam Maria hebræo ſermone, latinè Domina nuncupatur: Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris Genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis, quam naſci & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit auctoritas. Ne timeas, Maria, inueniſti enim gratiam. Verum eſt, quia qui inuenit gratiam, neſcit timere: Inueniſti gratiam.

*Reſp.* Beatam me dicent &c.

*Lectio.* ix.

*De homil. Dominicæ occur.*

*Si autem idem Officium iuxta Rubricas Breuiarij Romani transferendum ſit, nona lectio ſumatur eo anno ex Officio Beatæ Mariæ in Sabbato menſis Septembr.*

*Ad Laudes, & per Horas.*

*Aña.* Dum eſſet Rex, *cum Reliq. vt in Offi. S. Mariæ in Sabbat.*

*Capit.* Ab initio.

*Verſ.* Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.

*Reſp.* Propterea benedixit te Deus in ęternum.

*Ad Benedictus Aña.*

Beata es Maria, quæ credidiſti, perficientur in te, quę dicta ſunt tibi à Domino. Alleluia.

*Orat.* Concede, quęſumus. *vt ſupra.*

*Ad Horas Aña. Capitul. & Reſponſ. breu. vt in Offic. B. Mariæ in Sabbat.*

*Orat. vt ſupr.* Concede, quæſumus, Omnipotens Deus.

*Ad Veſp. vt in primis.*

*Aña.* Dum eſſet Rex.

*Ad Mag.*

*Aña.* Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilē reſpexit Deus.

*Oratio.*

Concede quęſumus. *vt ſupr.*

*Verba apponenda in* Kalendario *Breu. Rom. poſt diem* 8. *Septemb.*

Natiuitas B. M. Virgin. &c. Dominica infra oct. Feſtum Sanctiſsi. Nominis B. Mariæ Virginis.

---

## DIE XXVIII. SEPTEMB.

In feſto Sancti Vvenceslai Martyr. Ducis Bohemiæ Semid. ad lib.

*Omnia de Communi vnius martyris, præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.*

*Oratio.*

DEus, qui beatum Vvenceſlaum per martyrij palmā à terreno Principatu ad cæleſtem gloriam tranſtuliſti: eius precibus nos ab omni adverſitate cuſtodi, & eiuſdem tribue gaudere conſortio. Per Dominū noſtrū.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio. IIII.*

VVenceslaus Bohemiæ Dux, Vvratislao patre Chriſtiano, Drahomira matre gentili natus, ab auia Ludmilla, fœmina ſanctiſsima pie educatus, omni virtutum genere inſignis, ſummo ſtudio virginitatem per omnē vitam ſeruauit illibatam. Mater per nefariam Ludmillæ necem regni adminiſtrationem aſſecuta, impiè cum iuniore filio Boleslao viuens, concitauit in ſe Procerum indignationem: quare tyrannici, & impij regiminis pertæſi, vtriuſque excuſſo iugo, Vvenceslaum in Vrbe Pragēſi Regem ſalutarunt.

*Reſp.* Honeſtum fecit, 9.

*Lectio V.*

ILle regnum pietate magis quam imperio regens, orphanis, viduis, egenis tanta charitate ſubuenit, vt proprijs humeris aliquando ligna indigentibus noctu comportarit, pauperibus humandis frequenter adfuerit, captiuos liberarit, carceribus detentos nocte in tempeſta viſitarit, pecunijs & conſilio ſæpiſsimè conſolatus. Miti animo Princeps vehementer dolebat, quempiam, & ſi reū morti adiudicari. Summa religione Sacerdotes veneratus, ſuis manibus triticum ſerebat, & vinum exprimebat, quibus in Miſſæ ſacrificio vterentur. Nocte nudis pedibus ſuper niuem & glaciem circuibat Eccleſias, ſāguinea, & terram calefacientia poſt ſe relinquens veſtigia.

*Reſp.* Deſiderium animæ. 9.

*Lectio. VI.*

ANgelos habuit ſui corporis cuſtodes: cum enim ad ſingulare certamen

aduerſus Radislaum Ducem Curimenſem, eô fine accederet, vt ſuorum ſaluti proſpiceret, viſi ſunt Angeli arma miniſtraſſe, & dixiſſe aduerſario: Ne ferias: perterritus hoſtis, venerabundus procidens, veniam exorauit. Cùm in Germaniam profectus eſſet, Imperator, cõſpectis duobus Angelis aurea Cruce ad ſe accedentem ornantibus, è ſolio proſiliens brachijs excepit, regijs Inſignibus decorauit, eique ſancti Viri brachium donauit. Nihilominus impius frater, matre hortante, conuiuio exceptum, & poſteà in Eccleſia orantem, paratæ ſibi mortis præſciũ, adhibitis ſceleris comitibus, interfecit. Sanguis, per parietes aſperſus, adhuc conſpicitur: & Deo vindice, matrẽ inhumanam terra abſorbuit: interfectores varijs modis miſerè perierunt.

*Reſp.* Stola iucunditatis.

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euang* Si quis vult poſt me venire. *Vt in Commun. vnius martyris.*

*Miſſ.*: In virtute tua Domine. *ex eodem Commun. Ora. Vt ſupra. Euang.* Si quis vult poſt me venire. *de Commun. mart. Pontif.*

*Veſper. de ſancto Michaele*



## DIE I. OCTOBRIS

In feſto Sancti Remigij Epiſc. & Conf. Semid. ad libit.

*Omnia de Commun. Conf. Pontif. præter ea quæ hic habentur, propria.*

*Oratio*

DA, quæſumus omnipotens Deus: vt beati Remigij Confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum noſtrum.

*In Hymno ad Matutin. dicatur* Hac die lætus meruit ſupremos Laudis honores.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IIII.*

REmigius, &c.

*Vt in Breuiario.*

*Lect. V. & VI. Sermo Sancti Maximi. Ep. Vt in com. Conf. Pontif.*

Ad Sancti ac beatiſsimi, &c.

*In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangel.* Homo peregrè proficiſcens. *Vt in Commun. Confeſ. Pontif.*

*Miſſa. Vt in Miſſali Romano.*

OFFICIVM PROPRIVM
Solemnitatis SS. Roſarij B. V. Mariæ.
Duplex maius.

*Quod feſtum a Sacr. Rituum Congregatione approbatum S. D. noſter Clemens X. celebrari iuſsit in omnibus Regnis, & Dominijs Hiſpaniarum Regi ſubiectis, ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad Horas Canonicas recitãdas tenẽtur, Dominica prima menſis Octobris, quæ incidit in* Kalendas *illius menſis, vel proximè ſequitur.*

*Si in ea occurrat Feſtum primæ, vel ſecundæ claſsis, tunc feſtum Roſarij fiet in Dominica ſequenti. Duplex, vel ſemiduplex ocurrens transfertur in primam diem non impeditam.*

*AD VESPERAS.*

*Aña.* Dum eſſet Rex, *cum reliquis Antiphonis, & Pſalm. vt in Offi. Paruo B. Mariæ. Capitulum.* Abinitio
*Hymn.* Aue maris ſtella.
*Verſ.* Dignare me laudare te Virgo Sacrata.
*Reſp.* Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

*Ad Magnificat.*

*Aña.* Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fæmineo ſexu: ſentiant omnes tuũ iuuamen, quicumque celebrant tuam ſanctam ſolemnitatem. *ORATIO.*

SOlemnitatem Roſarij Beatiſsimæ Virginis Mariæ genitricis tuę celebrãtes, quæſumus omnipotẽs Deus, benigno fauorę proſequere; quatenus ita ipſius ſacra myſteria cõtemplemur in terris, vt poſt huius vitæ curſum eorum fructus percipere mereamur in cælis. Qui viuis, & regnas.

*Et fit commemor. Dominicæ occurr. Ad Matutinum inuitator.* Sancta Maria Dei genitrix virgo, * Intercede pro nobis.
*Pſalm.* Venite exultemus.
*Hymn.* Quem terra.

*Aña, & Pſalm. Nocturnor. vt in Offic. Paru. B. Mariæ.*

*In primo Nocturn. leguntur Lectiones, Verſ. & Reſp. vt in Feſto S. Mariæ ad Niues. v. Auguſti. In Secundo Noct.*
*Verſ.* Adiuuauit eam Deus vultu ſuo.
*Reſp.* Deus in medio eius, non commouebitur.

Sermo Sancti Auguſtini Epiſcopi.

*Serm* 18. *de Sanct. qui eſt* 2. *de Annunti ante Dominica.*

*Lectio.* iv.

ADeſt nobis, dilectiſsimi.

mi, optatus dies beatæ, ac venerabilis ſemper Virginis Mariæ: ideo cum ſumma exultatione gaudeat terra noſtra, tantæ virginis illuſtrata ſolemnitate. Hæc eſt enim flos campi, de qua ortum eſt pretioſum lilium cõuallium, per cuius partum mutatur natura, protoplaſtorum deletur & culpa. Præciſũ eſt in ea illud Heuę infelicis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos; quia iſta in lætitia Dominum peperit.

*Reſp.* Sicut cedrus &c.

*Lectio. V.*

HEua enim luxit, iſta exultauit: Heua lacrymas, Maria gaudium in ventre portauit; quia illa peccatorem, iſta edit innocentem. Mater generis noſtri pœnam intulit mundo, genitrix Domini noſtri ſalutẽ attulit mundo. Auctrix peccati Heua, auctrix meriti Maria. Heua occidendo obfuit, Maria viuificãdo profuit. Illa percuſsit: iſta ſanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compenſatur.

*Reſp.* Quæ eſt iſta, &c.

*Lectio. VI.*

PLaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulciſona carmina miſceantur. Audite igitur quemadmodum tympaniſtria noſtra cantauerit. Ait enim: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Cauſam igitur inualeſcentis errati miraculum noui partus euicit; & Heuæ planctum Mariæ cantus excluſit.

*Reſp.* Ornatã monilibus. &c.

*In Tertio Nocturno.*

*Verſ.* Elegit eam Deus, & præelegit eam.

*Reſp.* In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam.

In illo tempre: Loquente Ieſu ad turbas. &c.

*Vt in feſto ad Niues.*

*Nona Lectio Dicitur de Hom. Dominicæ occurrentis.*

*Ad Laudes & per horas omnia dicuntur Vt in Feſto S. M. ad Niues. Oratio.*

Solemnitatem Roſarij, &c. *Vt ſupra & fit com. Dominicæ.*

In

*In ſecundis Veſp. omnia vt in primis.*

*Ad Magnificat Antiph.*

Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus.

*Et fit commem. Dominicæ.*

———— * ————

## DIE X. OCTOBRIS.

### OFFICIVM PROPRIVM S. Franciſci Borgiæ.

Duplex ſecundæ Claſsis.

*Omnia de commun. Confeſ. non Pontif. præter ea, quæ aſsignantur.*

*Oratio.*

Domine Ieſu Chriſte, veræ humilitatis, & exemplar, & præmium: quæſumus, vt ſicut Beatum Franciſcum in terreni honoris cõtemptu imitatorem tui glorioſum effeciſti, ita nos eiuſdem imitationis, & gloriæ tribuas eſſe conſortes. Qui viuis, & regnas, &c.

*In primo Nocturno lect. Iuſtus de commun.*

*In ſecundo Noctur. lect. IV.*

FRanciſcus Gandiæ Dux IV. Ioanne Borgia, & Ioanna Aragonia Ferdinandi Catholici næpte genitus, poſt puerilem ętatem inter domeſticos mira innocentia & pietate tranſactam, in aula primum Caroli V. Cæſaris, mox in Cataluniæ adminiſtratione admirabilior fuit Chriſtianę virtutis, & vitæ auſterioris exemplis. Ad Granatenſe ſepulchrum Iſabellã Imperatricem cũ detuliſſet, in eius vultu fœdè commutato, mortalium omnium caducitatẽ relegens, voto ſe adſtrinxit, rebus omnibus, cum primum liceret, abiectis, Regum Regi vnice inſeruiendi. Inde tantum virtutis incremẽtum fecit, vt inter negotiorum turbas religioſæ perfectionis ſimillimam imaginem referens, Miraculum Principum appellaretur.

*Reſp.* Honeſtum fecit.

*Lectio V.*

MOrtua Eleonora de Caſtro coniuge, ingreſſus eſt Societatem Ieſu, vt in ea lateret ſecurius, & præcluderet dignitatibus aditũ, interpoſita voti religione: dignus, quem & viri Principes complures in amplectendo ſeueriori inſtituto fuerint ſequuti, & Carolus V. ipſe in abdicando Imperio hortatorem ſibi, aut ducem extitiſſe non diffiteretur. In eo arctioris vitæ ſtudio Frãciſcus ieiunijs, catenis ferreis, aſperrimo cilicio, cruentis, longiſq; verberationibus, ſomno breuiſsimo, corpus ad extremum vſque maciem redegit: nul-

lis

lis prætereà parcens labori-bus ad ſui victoriam, & ad ſalutem animarū. Tot itaque, inſtructus virtutibus, à S. Ignatio primum Generalis Cōmiſſarius in Hiſpanijs, nec multò poſt Prepoſitus Generalis Tertius à Societate vniuerſa, licèt inuitus, eligitur. Quo in munere Principibus, ac Summis Pontificibus prudentia, ac morum ſanctitate apprimè charus, præter complura, vel condita, vel aucta vbique domicilia, Socios in Regnum Poloniæ, in Inſulas Oceani, in Mexicanam, & Peruanam Prouincias inuexit: miſsis quoque in alias Regiones Apoſtolicis viris, qui prædicatione, ſudoribus, ſanguine, fidem Catholicam Romanam propagarunt.

*Reſp.* Amauit eum.

*Lectio. VI.*

De ſe ita demiſſè ſetiebat, vt peccatoris nomen ſibi proprium faceret; Romanam purpuram à Summis Pontificibus ſæpius oblatam, inuicta humilitatis conſtantia recuſauit. Verrere ſordes, emēdicare victum oſtiatim, ægris miniſtrare in Noſocomijs, Mundi, ac ſui contemptor, in delicijs habuit. Singulis diebus multas continenter horas, frequenter octo, quandoque decem dabat cæleſtium contemplationi. Centies quotidiè de genu Deum adorabat. Nunquam à ſacrificando abſtinuit: prodebatque ſeſe diuinus, quo æſtuabat, ardor; eius vultu ſacram Hoſtiam offerentis, aut concionantis interdū radiante. Sanctiſsimum Chriſti Corpus in Euchariſtia latens, vbi aſſeruaretur, inſtinctu cæleſti ſentiebat. Cardinali Alexandrino ad coniungendos contra Turcam Chriſtianos Principes Legato comes additus à Beato Pio V. arduum iter, fractis iā penè viribus, ſuſcepit ex obedientia, in qua & vitæ curſum Romæ, vt optarat, feliciter conſummauit, anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſecūdo, ſalutis vero milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. A Sancta Thereſia, quæ eius vtebatur conſilijs, vir ſanctus, à Gregorio XIII. fidelis adminiſter appellatus, Demum à Clemente X. pluribus, magniſque clarus miraculis, in Sanctorum numerum adſcriptus.

*Reſp.* Iſte eſt.

*In Tertio Nocturno.*

*Homil. Sanct. Hieronymi. in Euang.* Ecce nos reliquimus omnia, *Vt in commun. Abb.*

DIE

## DIE XIII. OCTOBRIS.

### OFFICIVM PROPRIVM S. Eduardi Confeſſ.

Semiduplex.

*Omnia de commun. Confeſ. non Pontificis, exceptis Lectionibus ſecundi Nocturni. & Oratione.*

*Oratio.*

DEus, qui Beatum Regem Eduardum Confeſſorẽ tuum æternitatis gloria coronaſti: fac nos, quæſumus ita eum venerari in terris, vt cum eo regnare poſsimus in cælis. Per Dominũ noſtrum.

*Lectiones Primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

*In Secundo Nocturno.*

*Lectio IV.*

EDuardus cognomẽto Cõfeſſor, nepos ſancti Eduardi Regis, & Martyris Anglo-Saxonum Regum vltimus; quem futurum Regem Brithualdo viro ſanctiſsimo in mentis exceſſu Dominus demonſtrauit, decennis à Danis Angliam vaſtantibus quæſitus ad necem exulare cogitur apud Auunculum Normãniæ Ducem, vbi in medijs vitiorum illecebris talem ſe exhibuit integritate vitæ, morumque innocentia, vt omnib⁹ admirationi eſſet. Eluxit in eo, vel tùm, mira pietas in Deum, ac res diuinas, fuitquè ingenio mitiſsimo, atque ab omni dominandi cupiditate alieno, cuius ea vox fertur, malle ſe Regno carere, quod ſine cæde, & ſanguine obtineri non poſsit.

*Reſp.* Honeſtum fecit,

*Lectio V.*

EXtinctis mox Tyrannis, qui fratribus ſuis vitam, & Regnum eripuerant, reuocatur in patriam, vbi ſũmis omniũ votis, & gratulatione Regno potitus, ad hoſtilium irarum delenda veſtigia totum ſe conuertit, à ſacris exorſus, ac Diuorũ Templis, quorum alia à fundamẽtis erexit, alia refecit, auxitque redditibus, ac priuilegijs in eam curam potiſsimum intentus, vt refloreſceret collapſa Religio. Ab aulæ proceribus compulſum ad nuptias, conſtans eſt aſſertio ſcriptorum, cum virgine ſponſa virginitatem in matrimonio ſeruaſſe. Tantus in eo fuit in Chriſtum amor, & fides, vt illum aliquando inter Miſſarum ſolemnia videre meruerit blando vultu, & diuina luce fulgentem. Ob profuſam charitatem or-

phanorum, & egenorum pater paſsim dicebatur, nunquã lætior, quã cũ Regios theſauros exhauſiſſet in pauperes.
*Reſp.* Amauit eum.

*Lectio VI.*

PRophetiæ dono illuſtris, de Angliæ futuro ſtatu multa cælitus præuidit, & illud in primis memorabile, quod Suueyni Danorum Regis in mare demerſi mortem, dùm Angliam inuadendi animo claſſem conſcenderet, eodem quo accidit momento, diuinitus intellexit. Ioannem Euangeliſtam mirificè coluit, nihil cuiquã, quod eius nomine peteretur, negare ſolitus. Cui olim ſub lacera veſte ſuo nomine ſtipẽ roganti, cum nummi deeſſent, detractum ex digito annulum porrexit, quem Diuus non ita poſt multo Eduardo remiſit, vna cum nuncio ſecuturæ mortis; quare Rex indictis pro ſe precibus, ipſo ab Euãgeliſta prædicto die, piiſſime obiit nonis videlicet Ianuarii, anno ſalutis milleſimo ſexageſimo ſexto, quem ſequenti ſæculo, Alexander Papa Tertius miraculis clarum Sanctorum faſtis adſcripſit. At eius memoriam Innocentius Vndecimus officio publico per vniuerſam Eccleſiã eo die celebrari præcepit, quo annis ab obitu ſex, & triginta translatum eius corpus incorruptum, & ſuauem ſpirans odorem repertum eſt.
*Reſp.* Iſte homo.

*Homil. ſuper Euang.* Sint lumbi veſtri præcincti, *de cõmuni Miſſ.* Os iuſti *de commu. Confeſſ. non Pontif. cũ Oratione:* Deus, qui Beatum Regem Eduardum, *vt ſupra.*

---

## DIE XVII. OCTOBRIS.

## OFFICIVM PROPRIVM S. Heduvigis Viduæ, Reginæ Poloniæ, Sacri Ordinis Ciſtercienſis.

Semiduplex.

*Omnia de commun. Sanctar. nec Virginum, nec Martyrum, præter ea, quæ hic habentur.*

*Oratio.*

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de Beatæ Hedvvigis feſtiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum noſtrum.

*In primo Nocturno Lection. de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IV.*

HEdvvigis Regiis clara natalibus, innocentia tamen vitæ longè clarior, ſan-

ſanctæ Eliſabethæ filiæ Regis Hungariæ matertera, Bertoldi, & Agnetis Morauiæ Marchionũ filia animi ab ineunte ætate moderationem prætulit: adhuc enim puellula puerilibus abſtinuit, & duodennis Henrico Poloniæ Duci à parẽtibus nuptui tradita, thalami fide ſanctè ſeruata, prolẽ inde ſuſceptam in Dei timore erudiuit. Vt autẽ cõmodius Deo vacaret: ex pari voto, & conſenſu vnanimi ad ſeparationem thori virũ induxit; quo defuncto, ipſa in Monaſterio Trebnicẽſi, Deo, quem aſsiduis precibus exorauerat, inſpirante, Ciſterciensẽm deuota ſumpſit habitum, in eoquè contemplationi intenta Diuinis Officijs, & Miſſarum ſolemnijs à ſolis ortu ad meridiem vſque aſsidua aſsiſtens antiquũ humani generis hoſtem fortis contempſit.

*Reſp.* Propter veritatem,

*Lectio V.*

SÆculi autem commercia, ni Diuina, vel animarum ſalutem attingerent, audire, vel loqui non ſuſtinuit: prudentia in agendis ſic emicuit, vt neque exceſſus eſſet in modo, nec error in ordine, comis alioqui, & manſueta in proximum. Grandem autem de ſe triumphum ieiunijs, & vigilijs, veſtiumquè aſperitate, auſtera carnẽ macerans, reportauit: hinc ſublimioribus florens virtutibus Chriſtianis, conſiliorum grauitate, animiquè candore, & quiete in eximium religioſæ pietatis evaſit exemplar: omnibus ſe vltro ſubijcere atque viliora prę ceteris monialibus alacriter munia ſubire; pauperibus etiam flexo genu miniſtrare, leproſorum pedes abluere, & oſculari ipſi familiare erat, neque illorũ vlcera ſanie manantia ſui victrix abhorruit.

*Reſp.* Dilexiſti iuſtitiam,

*Lectio VI.*

MIra fuit eius patientia, animique cõſtantia, prę cipuè verò in morte Henrici Ducis Sileſiæ ſui, quem materne diligebat, filij in bello à Tartaris cęſi enituit, potius enim gratias Deo, quam filio lachrymas reddidit. Miraculorum denique gloria percrebuit; puerum enim demerſũ, & molendiui rotis alliſum, & prorſus attritum inuocata, vitæ reſtituit, aliaquè præſtitit, vt rite ijs Clemens Quartus probatis, Sanctorum numero eam adſcri-

ſcripſerit, eiuſquè feſtum in Polonia, vbi precipua veneratione vti Patrona colitur die decima quinta Octobris celebrari conceſſerit: quod deinde vt decima ſeptima in tota Eccleſia fieret, Innocentius Vndecimus ampliauit.

*Reſp.* Fallax gratia.

*In Tertio Nocturno Homil. S. Gregorij Papæ in Euangel.* Simile eſt Regnum cælorum theſauro, *vt in communi non Virginis.*

*Miſſa de communi, nec Virginum, nec Martyrum, cum oratione vt ſupra.*

---

## DIE XXIII. OCTOBRIS.

### OFFICIVM PROPRIVM S. Petri Paſchaſij Epiſcopi Giennen. & Martyris, Ordinis Beatiſsimæ Virginis Marię de Mercede, Redemptionis Captiuorum.

Duplex.

*A Sacr. Rit. Congregat. recognitum, & approbatum.*

*Omnia de communi vnius Mart. præter ea, quæ ſequuntur.*

*Oratio.*

DEus, qui nos B. Petri Martyris tui, atque Pontificis annua ſolemnitate lætificas, concede propitius, vt cuius natalitia colimus, de eiuſdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum noſtrum.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IV.*

PEtrus cognomento Paſchaſius, Valentiæ, dum ſub Maurorum iugo teneretur, Chriſtianis parentibus natus, liberalibus artibus, ſacriſque diſciplinis eruditus, inter Canonicos Eccleſię Valentinæ adſcribitur. Mox erogatis in pauperes ampliſsimis redditibus, vt ſe totum pietati conuerteret, Ordinem B. Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum ingreditur, in quo ſub ipſo ſancto Petro Nolaſco Magiſtro adeò exactam viuendi rationem inſtituit, vt in ieiunijs, & mortificationibus exemplar omnibus eſſet.

*Reſp.* Honeſtum fecit.

*Lectio V.*

DEinde ſacram Theologiam magno auditorum profectu publicè docuit; quare Iacobus primus Aragoniæ Rex eius doctrinæ fama permotus, illum in filij ſui

San-

Sanctij Archiepiſcopi Toletani, qui & eidem Ordini nomen dederat in præceptorem, & directorem, collato ab Vrbano Quarto titulo Epiſcopatus Granatenſis, delegit. Quo in munere ita ſe geſſit, vt Ordinem ſuum Toleti, & alibi mirifice propagauerit, donec defuncto Sāctio ad Giennenſem Eccleſiā omnibus votis præficitur. In eius vero regimine, dum ouium ſibi creditarum ſaluti ſedulo invigilat, à Mauris captus in vinculis Granatæ iam ſeptuagenarius detinetur.

*Reſp.* Deſiderium.

*Lectio. VI.*

VErum in tanto vitæ diſcrimine ærumnis, & calamitatibus preſſus, ſumma conſtantia Catholicam Religionem tueri, fideleſquè in ergaſtulis miſerè detentos, opibus, & pecunijs in propriam libertatem pluries paratis, iuuit; ac pueros, & fœminas in animæ diſcrimen ob ætatis, vel ſexus imbecillitatē procliues, contempta propria ſalute redemit. Cumquè inter fideles ipſos non prætermitteret Catholicam Religionem propugnare, ac Sarracenorum errores doctiſsimis commentarijs confutare, ipſum Granatæ, dum ſacra operatur, obtruncari Rex Mahometanus iubet. Martyris ſui ſanctitatem multis Deus miraculis illuſtrauit, diuquè à fidelibus veneratione habitum, Clemens X. Pontifex Maximus Eccleſiaſtici cultus decreto decorauit.

*Reſp.* Stola iucunditatis.

*In Tertio Nocturn.*

*Homil.* Si quis vult poſt me venire.

*Miſſa*: Sacerdotes Dei,

*De eodem commun.*

---

## DIE XXIV. OCTOBRIS

## OFFICIVM PROPRIVM S. Raphaelis Archangeli.

Duplex minus.

*Ad Veſperas. Ana.* Miſſus eſt Angelus Raphael, *cum reliq. de Laud. Pſalm.* Dixit Dominus, *cum reliq. de Dominic. & loco vltim. Pſalm.* Laudate Dominum omnes gentes.

*Capitulum. Tob. cap. 12.*

QVando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos & derelinquebas prandiū tuū, & mortuos abſ-

abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

*Hymnus.*

TIbi Chriſte ſplendor Patris,
Vita virtus cordium,
In conſpectu Angelorum
Votis voce pſallimus,
Alternantes concrepando
Melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes,
Omnes cœli Principes,
Sed præcipuè fidelem
Medicum, & comitem
Raphaelem, in virtute
Alligantem dæmonem.
Quo cuſtode procul pelle,
Rex Chriſte pijſsime,
Omne nefas inimici,
Mundo corde, & corpore:
Paradiſo redde tuo
Nos ſola clementia.
Gloriam Patri melodis
Perſonemus vocibus:
Gloriam Chriſto canamus
Gloria n Paraclito:
Qui trinus, & vnus Deus
Extat ante ſæcula. Amen.

*Verſ.* Stetit Angelus iuxta aram Templi.

*Reſp.* Habens thuribulum aureum in manu ſua.

*A. Magnificat. Aña.* Ego ſum Raphael Angelus, qui aſto ante Dominum, vos autem benedicite Deum & narrate omnia mirabilia eius.

*ORATIO.*

DEus, qui Beatum Raphaelem Archangelum Tobiæ famulo tuo comitē dediſti in via: concede nobis famulis tuis; vt eiuſdem ſemper protegamur cuſtodia, & muniamur auxllio. Per Dominum.

*Ad Matutinum inuitator.*

Regem Archangelorum Dominum: * Venite adoremus.

*Hymn.* Tibi Chriſte, *Vt ſupra in Veſp.*

*In Primo Nocturn.*

*Aña.* Ingreſſus Tobias inuenit iuuenem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum, & ignorans, quod Angelus eſſet, ſalutauit eum.

*Pſalm.* Domine Dominus noſter.

*Aña.* Angelus Raphael ſeipſum occultans, ait: Ego ſum Azarias magni Ananiæ filius.

*Pſalm.* In Domino confido.

*Aña.* Sanum ducam filium tuum in regionem Medorum, & ſanum tibi reducam, Alelluia.

*Pſal.*

*Pſalm.* Domine, quis habitabit.
*Verſ.* Data ſunt Angelo incenſa multa.
*Reſp.* Vt adoleret ea ante altare aureum, quod eſt ante oculos Domini.

De libro Tobiæ.

*Lectio. j. Cap. 12.*

VOcauit ad ſe Tobias filium ſuum dixitquè ei: Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum? Et reſpondens Tobias, dixit Patri ſuo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius? Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorẽ ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoq; videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, vt roges eum, ſi forte dignabitur medietatẽ de omnibus, quæ allata ſunt, ſibi aſſumere.
*Reſp.* In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriȩ ſummi Dei: *Et miſſus eſt Angelus Domini Sanctus Raphael, vt curaret eos ambos: quorum vno tempore ſunt orationes in conſpectu Domini recitatæ.
*Verſ.* Tobias, & Sara in tribulatione poſiti cum lachrymis orare cæperunt. Et miſſus eſt Angelus.

*Lectio. iij.*

ET vocantes eum, pater ſcilicet, & filius tulerunt eum in partem: & rogare cæperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. Tunc dixit ei occultè: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus cõfitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. Etenim Sacramentum regis abſcondere, bonum eſt: opera autem Dei reuelare, & confiteri, honorificum eſt. Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna magis, quam theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ. Manifeſto ergo vobis veritatem, & non abſcondam à vobis occultum ſermonem.

Quan

Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.

*Reſp.* Egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplendidum ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum, & ſalutauit eum, & dixit: *Vnde te habemus bone iuvenis?

*Verſ.* Ignorans, quod Domini Angelus eſſet, ſalutauit eum, & dixit. Vnde.

*Lectio.* iij.

ET nunc miſit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem. Ego enim ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. Cumque hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam. Dixitquè eis Angelus: Pax vobis, nolite timere. Etenim cum eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram: ipſum benedicite, & cantate illi. Videbar quidem vobiſcum mãducare, & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri nõ poteſt, vtor. Tempus eſt ergo vt reuertar ad eum, qui me miſit: vos autẽ benedicite Deũ, & narrate omnia mirabilia eius. Et cum hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltra eum videre non potuerunt. Tunc proſtrati per horas tres in faciem benedixerunt Deum, & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

*Reſp.* Ingreſſus Angelus ad Tobiam, ſalutauit eum, & dixit: Gaudium ſit tibi ſemper. *Forti animo eſto, in proximo enim eſt, vt à Deo cureris.

*Verſ.* Et reſpondens Tobias, ait: Quale gaudium mihi erit qui in tenebris ſedeo, & lumẽ cœli non video, Forti. Gloria Patri. Forti.

*In ſecundo Nocturno.*

*Aña.* Dixit autem Angelus: Aprehende branchiam piſcis, & trahe eũ extra aquas. *Pſalm.* Cœli enarrant. *Aña.* Obſecro te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt iſta, quæ de piſce ſeruare iuſſiſti.

*Pſam.* Domini eſt terra,

*Añas* Lumina fel ſanat, ſed virtus cordis & iecoris diaboli

boli expellit poteſtatem.
*Pſal.* Benedicam Dominũ:
*Verſ.* Aſcendit fumus aroma tum in conſpectu Domini.
*Reſp.* De manu Angeli.

Sermo S. Auguſtini Epiſc.
*Sermo 1. in Dom. 16. de B. Tobia, qui eſt 226. de Temp.*

*Lectio.* iv.

BEatus Tobias, qui panem ſuum nouerat frangere eſurienti, mercedem celerem mercenario præparat laboranti. Patienter lectione percepta, quæ nuper eſt recitata, admirabamur patris, filijque tractatum, quem admodum Angelus monet, quem æſtimabant terrenum ſub cæleſti gloria mercenarium. Ad hoc enim cæcitatis incurrit exitium, vt Angelum ſuſciperet medicum, qui diuinis facibus incenſus ſic anhelauit. Honeſta eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna. Oratio iuſti clauis eſt cœli. Aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio. Licet alta ſit terra, altũ cęlum: audit tamen Deus humilis linguam, ſi mundam habet conſcientiam. Cum ſenſibus loquitur, ſi ſit ſolus noſter gemitus. Sufficit auribus imber oculorum: fletus citius audit, quam voces. Oratio invidi ſolet de auribus propulſari. Erat patris, & filij anima vna: dum eſſet proprietas membrorum, erat illis ſingularis germanitas animorum. Fili, inquit, dimittamus iſtum hominem, adijciẽtes ad mercedem placitam, quia nobis multa opere ſuo contulit bona: & rogare cœpit mercenarium, vt mercedis ſuæ ſumat effectum. Frater, inquit, accipe quod tuũ eſt, & tunc vade ſaluus. Recipe mercedẽ tuam, quia mihi, & filio meo bonam præbuiſti miſericordiam. Tolle, vt dixi, ſubſtantiam, quam cum filio meo reportaſti: eam gratia, quam tibi debemus, non poteſt põderari.

*Reſp.* Interrogauit Tobias Angelum: de qua domo, aut de qua tribu es tu? Qui reſpondens, ait. * Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius.
*Verſ.* Genus quęris mercenarij, an ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne fortè ſollicitus ſis. Ego ſum Azarias.

*Lectio. V.*

COntinuo Angelus gaudet de cogitata mercecede, qui miſſus fuerat gratis facere pietatem. To-

bia, inquit, vel Tobia, quid de mea mercede ſatis ſuperflue cogitatis: Habete, quod vobis donauit Pater ille cæleſtis: Ego miniſter ſum curationis, ille eſt auctor ſanitatis. Neſcitis,cuius mercenarij ope perfrui meruiſtis, Defunctos captiuitatis ſepelire non timuiſtis: Tobia, aſcenderunt ad Dominum opera tua, quia relicto prandio, reddidiſti mortuum ſepulturæ. Ego Domino medullata obtuli ſacrificia pro venerabili ſepultura. Ego directus ſum operarius fori cœleſtis. Mortuum ſepe liſtis & mortis aculeũ non timuiſtis. Ipſe ſepultus pro vobis voce tacita proclamauit. Probationis fuerat cæcitas oculorum, vnde patientia tua clarius meruiſſet de cœleſtibus ornamentum. Ego ſum Raphael vnus ex ſeptem Angelis, qui aſtamus ante claritatem Dei. Non indigeo fructu humanæ mercedis, diuitem me fecit conuerſatio Maieſtatis. Diues eſt ille, qui me miſsit gratis iuſsit impendi, quod gratis ipſe conceſsit. Nec ipſum honorem gratiarum mihi deputetis, quia nihil meis viribus percepiſtis. Deum benedicite, & illi confitemini, & ipſum glorificate quia vobiſcum fecit bona.

*Reſp.* Exiuit Tobias, vt lauaret pedes ſuos, & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum, qui expaueſcens clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me. Et dixit ei Angelus. Apprehende brãchiam eius, & trahe eum ad te, exentera hunc piſcem, cor eius & fel, & iecur repone tibi; ſunt enim neceſſaria ad medicamenta vtiliter.

*Verſ.* Attraxit autem Tobias piſcem in ſiccum, & palpitare cœpit ante pedes eius & ait Angelus ei. Exentera.

*Lectio. VI.*

SVbito patefacto myſterij cœleſtis honore, voce Raphael Archangeli attoniti Tobias, & Tobias, colapſi in terram corruerunt, vocem tremulam penitus occultauerunt, quia vocem inſolitam audierunt. Quid metuiſtis pater Tobias, filiuſquè Tobias? Mercenarium habere cœleſtem & tamquam operarium locare terreſtrem? Celauit vobis Angelus nomen Azarias ſum, inquit, Ananiæ magni filius: & cum dixit. Ego ſum Raphael Angelus, celauit in primo nomine dignitatem ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret,

ceret, Ego ſum Angelus, non eſſet Tobiæ mercenarius, Servata eſt dignitas nominis, vt poſtremo magnitudo clareſceret dignitatis. Videte, chariſsimi, quantū ſit eleemoſynæ meritum: Angelum meruit habere operarium. Videtis quantum proſit mortuos ſepelire, vt oblatio eius per Angelum Raphaelem ad cœleſtem aſcenderet Maieſtatem. Videtis, quia elemoſyna à morte liberat, & ipſa purgat peccata, facit purgationem oculorum, liberat à tenebris peccatorum, Tobias via ſua deducitur, Sara tot viris conſtriſtata per Angelum matrimonio copulatur.

*Verſ.* Vbi introieris domum tuam, dixit Angelus Raphael ad Tobiam, ſtatim adora Dominum Deum tuum & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum: * Statimque lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quem portas tecum; ſcias enim, quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aſpectu tuo gaudebit.

*Reſp.* Tolle tecum ex felle iſto piſcis; erit enim neceſſarium. Statimque. Gloria Patri. Statimque.

*In Tertio Nocturno.*

*Aña.* Eſt hic Sara Raguelis filia, quæ tibi coniugio dabitur, & omnis ſubſtantia eius.

*Pſam.* Cantate Domino.

*Aña.* Septem viros habuit, quos dœmonium oppreſsit, timeo ne mihi ſimile contingat.

*Pſalm.* Dominus regnauit, exultet.

*Aña.* Per tres dies orationi cum vxore tua vacabis, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris.

*Pſalm.* Benedic anima mea Domino.

*Verſ.* Apprehendit Angelus Raphael dœmonium.

*Reſp.* Et religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

*Lectio.* vij. *Cap.* 5.

IN illo tempore: Erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

*Tract. 17. in cap. 5. Ioann.*

MIrum non eſſe debet à Deo factum miraculum; mirum enim eſſet, ſi homo feciſſet. Magis gaudere, quam mirari debemus: quia Dominus noſter, & Sal-

uator Ieſus Chriſtus homo factus eſt; quam quod diuina inter homines Deus fecit. Plus eſt enim ad ſalutem noſtram, quod factus eſt propter homines, quam quod fecit inter homines; & plus eſt quod vitia ſanauit animarũ, quam quod ſanauit languores corporum moriturorum.

*Reſp.* Benedicite Deum cæli, dixit Angelus Raphael, & coram omnibus viuentibus confitemini ei; * Quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.

*Verſ.* Ipſum benedicite, & cantate illi, & narrate omnia mirabilia eius. Quia fecit.

*Lectio. VIII.*

SEd quia ipſa anima, nec eum nouerat, à quo ſanãda erat, & oculos habebat in carne, vnde facta corporalia videret; non dum habebat ſanos incorde, vnde Deum latentem agnoſceret. Fecit quod videri poterat, vt ſanaretur, vnde videri non poterat. Ingreſſus eſt locum vbi iacebat magna multitudo languentium, cœcorum, claudorum, aridorum.

*Reſp.* Tempus eſt vt reuertar ad eum qui me miſit, dixit Angelus Raphael: * Vos autem benedicite Dominum, & narrate omnia mirabilia eius.

*Verſ.* Confitemini ei coram omnibus viuentibus, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. Vos autem. Gloria Patri. Vos autem.

*Lectio IX.*

ET cum eſſet medicus, & animarum, & corporum, & qui veniſſet ſanare omnes animas crediturorum; de illis languentibus vnum elegit, quem ſanaret, vt vnitatẽ ſignificaret. Si mediocri corde, & quaſi humano captu, & ingenio cõſideremus facientem, & quod ad poteſtatem pertinet, non magnum aliquid perfecit; & quoad benignitatem, parum fecit. Tot iacebant, & vnus curatus eſt, cum poſſet vno verbo omnes erigere.

Te Deum laudamus.

*Ad Laudes, & per Hor. Aña.*

MIſſus eſt Angelus Raphael ad Tobiam, & Saram, vt curaret eos.

*Pſal.* Dominus regnauit.

*Cum reliq. de Laud. Dominica*

*Aña.* Ingreſſus Angelus ad Tobiam, ſalutauit eum, & dixit: Gaudium ſit tibi ſemper.

*Aña.* Forti animo eſto Tobia:

bia: in proximo enim eſt, vt à Deo cureris.

*Aña.* Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.

*Aña.* Pax vobis, nolite timere: Deum benedicite, & cantate illi.

*Capitulum. Teb cap. 12.*

QVando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationẽ tuam Domino.

*Hymnus.*

CHriſte ſanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis & Auctor,
Nobis ſacratum tribue benignus
Scandere cœlum.

Angelum nobis Medicum Salutis,
Mitte de cælis Raphael, vt omnes
Sanet ęgrotos, pariterque noſtros
Dirigat actus.

Hinc Dei noſtri genitrix Maria,
Totus, & nobis chorus Angelorum
Semper aſsiſtat, ſimul, & beata,
Concio tota.

Prȩſtet hoc nobis Deitas beata,
Patris, ac Nati pariterque ſancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

*Verſ.* In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus.
*Reſp.* Adorabo ad templum ſanctũ tuũ, & confitebor nomini tuo. *Ad Benedictus, Aña* Ego ſum Raphael Angelus, qui aſto ante Dominum: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius Alleluia.

*oratio.*

DEus, qui beatum Raphaelem Archangelum Tobiæ famulo tuo comitẽ dediſti in via; concede nobis famulis tuis, vt eiuſdem ſemper protegamur cuſtodia, & muniamur auxilio. Per Dominum noſtrum.

*Ad Tertiam, Aña.*

Ingreſſus Angelus.
*Capitul.* Quando orabas, *vt ſup. Reſp. br.* Stetit Angelus.
*Iuxta aram templi. Stetit.
*Verſ.* Habens thuribulum aureum in manu ſua. Iuxta arã templi. Gloria Patri. Stetit Angelus.
*Verſ.* Aſcendit fumus aromatum

tum in conſpectu Domini.
*Reſp.* De manu Angeli.

*Ad Sextam, Aña.* Forti animo.

*Capitulum Tob. cap. 12*

ET nunc miſit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui a dæmonio liberarem. Ego enim ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.

*Reſp. br.* Aſcendit ſumus aromatum: * In conſpectu Domini Aſcendit. *Verſ.* De manu Angeli. In conſpectu Domini. Gloria Patri Aſcendit. Gloria Patri. Aſcendit.

*Verſ.* In conſpectu Angelorũ pſallam tibi Deus meus.

*Reſp.* Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

*Ad Nonam, Aña* Pax vobis.

*Capitulum Tob. cap. 12.*

TEmpus eſt, vt reuertar ad eum, qui me miſit; vos autem benedicite Deum & narrate omnia mirabilia eius.

*Reſp. br.* In conſpectu Angelorum * Pſallam tibi Deus meus. In conſpectu.

*Verſ.* Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Pſallã tibi Deus meus. Gloria Patri. In conſpectu.

*Verſ.* Adorate Deum,
*Reſp.* Omnes Angeli eius.

*In ſecundis Veſperis.*

*Aña.* Miſſus eſt Angelus, *cum reliquis Añis de Laudibus, Pſalm.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco vltim. Pſalm.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audiſti.

*Capitul. Hymn. &* Verſ. *vt in primis Veſperis.*

*Ad Magnifi. Aña.*

Princeps glorioſiſsime Raphael Archangele, eſto memor noſtri hic, & vbique ſẽper precare pro nobis filium Dei.

---

IN FESTO PATROCINII B. Mariæ Virginis dupl. Maius.

*Quod feſtum Alexander VII. in omnibus Hiſpaniæ Regnis Celebrari conceſsit aliqua die Dominica Nouembris ab Ordinario loci eligenda.*

*Omnia, vt in feſto B. Mariæ Virginis ad Niues V. Auguſti, præter Lectiones ſecundi Nocturni, quæ ſumuntur ex ſermone S. Ioannis Chriſoſtomi,* Dei filius &c. *Die XII. ſeptembris, quinta in fraoctauam. Natiuitatis eiuſdem B. M. V. cũ nona Lectione, & commemoratione in vtriſque Veſperis, & Laudibus Dominicæ occurrentis.*

*In*

*In ſecundis Veſperis omnia, vt inprimis.*

*Ad Magnificat Aña.*

Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus.

———*———

## DIE XIII. NOVEMBRIS.

## IN FESTO S. DIDACI Confeſſoris, Semid.

*Omnia de communi Confeſ. non Pontif. exceptis, quæ habentur infra.*

*Oratio.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui diſpoſitione mirabili infirma mundi elegis, vt fortia, quæque confundas concede propitiꝰ humilitati noſtræ, vt pijs beati Didaci Cõfeſſoris tui precibus, ad perennẽ in cœlis gloriam ſublimari mereamur. Per Dominum noſtrum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio IV.*

DIdacꝰ Hiſpanus in Oppido ſancti Nicolai de Portu, Diœceſis Hiſpalenſis ab ineunte ætate pij ſub ſacerdotis diſciplina ſanctioris vitæ ſolitaria in Eccleſia tyrocinium exercuit. Deinde, vt firmius Deo ſe coniungeret in Conuentu de Arrizafa Fratrum Minorũ (quos Obſeruantes vocant) ſancti Frãciſci Regulam inſtatu laicali profeſſus eſt. Magna ibi alacritate humilis obedientiæ, & regularis obſeruantiæ iugum ſubiens, contemplationi in primis deditꝰ, mira Dei luce perfundebatur, adeò vt de rebus cœleſtibus, litterarum expers; mirandum in modum, & planè diuinitus loqueretur.

*Reſp.* Honeſtum.

*Lectio. V.*

CAnarijs in Inſulis vbi Fratribus ſui Ordinis præfuit, multa perpeſſus martyrij æſtuans deſiderio, plures in fideles verbo, & exemplo ad Chriſti fidẽ conuertit. Romam veniens anno Iubilæi, Nicolao V. Pontifice ægrotorum curæ Aracæli deſtinatus, eo charitatis affectu munus hoc exercuit, vt Vrbe annonæ inopia laborante, ægrotis tamen, quorum aliquando vlcera etiam lambendo abſtergebat, nihil penitus de neceſſarijs defecerit. Eximia quoque fides, & gratia curationum in eò eluxit, cum lampadis, quæ collucebat ante imaginem beatiſſimę Dei Genitricis, quam ſum-

ma deuotione colebat, oleo ægros inungens, ſigno Crucis impreſſo, multorum morbos mirabiliter ſanauerit.
*Reſp.* Amauit eum.

*Lectio VI.*

DEmum Compluti finem ſibi vitæ adeſſe intelligens, lacera, & obſoleta indutus tunica, coniectis in Crucem oculis, ſingulari deuotione illis verbis ex ſacro hymno pronuntiatis: Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ fuiſti digna portare Regem cælorum, & Dominum; animam Deo reddidit pridie Idus Nouembris, anno Domini ſupra milleſimum quadringenteſimo ſexageſimo tertio. Eius corpus, cum menſes non paucos ( vt pio confluentium deſiderio fieret ſatis ) in ſepultûm manſiſſet, quaſi iam incorruptionem induerit, odorem ſuauiſsimũ afflauit. Illũ multis, & illuſtribus miraculis clarũ Sixtus Quintus Pontifex Maximus Sanctorũ numero adſcripſit.
*Reſp.* Iſte homo.

*In tertio Nocturno Euang. ſecundum Lucam.* Nolite timere puſillus grex, *cum homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri:* Puſillum gregem, *vt in communi Confeſ. non Pontif.*

*Miſſa:* Iuſtus vt palma *de commun. Conf. non Pontif. cum Orat.* Omnipotens ſempiterne Deus, *vt ſupra.*

---

## DIE XV. NOVEMBRIS.

### IN FESTO S. EVGENII. Archiepiſcopi Toletani, & Mart. duplex in Regnis Hiſpaniarum.

*Omnia de communi Vnius Mart. exceptis his, quæ ſunt propria.*

*Oratio.*

DEus, qui præſentem diẽ beati Eugenij martyris tui, atque Pontificis martyrio conſecraſti, præſta propitius; vt cuius annua celebritate lætamur, eius meritis donum tuæ gratiæ conſequamur. Per Dominum noſtrũ.

*In primo Nocturno.*

De Actibus Apoſtolorum.

*Lectio I. Cap. 20. d.*

A Mileto, *vt in comm.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Ex Breu. Mart. & Hiſt. antiquis, & vita Gerardi Abbatis Bronienſi, in qua multa dicuntur de miraculis Sancti Eugenij. Habentur apud Surium tom. 5.*

*Lectio IV.*

EVgenius Dionyſij Areopagitę diſcipulus, primus Toletanus Epiſcopus fuit. Qui

Qui Dionyſio Magiſtro ſuo ad Galliam erudiendam relicto, ipſe ad Hiſpaniam Euāgelij luce illuſtrandam profectus, in intima Prouinciæ delatus, Toletum venit: vbi plurimos filios Ieſu Chriſto peperit, parenſq; Eccleſię Toletanæ; atque inſtitutor fuit. Quam Eccleſiam à ſe fundatā, vt magis ſtabiliret, & communicatis conſilijs amplificaret, ad Dionyſium redijt in Galliam. Quo tempore, Domitiano Imperatore ſecundam in Chriſtianos perſecutionem mouente, à Siſinij Præfecti ſatellitibus comprehenſus, ad Diolum (quod oppidum non longe à Lutetia Pariſiorum abeſt) de fide ſua interrogatus, Chriſtum verum, & ſolum Deum ſe pia mēte colere magna libertate profeſſus eſt. Qua in cōfeſsione ab impietatis miniſtris gladio percuſſus, martyrio coronatur decimo ſeptimo Kalendas Decembris.

*Reſp*. Honeſtum.

*Lectio V.*

Corpus Eugenij, ne à Chriſtianis honore afficeretur, in lacum Marcaſium, ei loco propinquum, vbi occiſus eſt, à Gentilibus proiectum, multis ſæculis latuit, donec Beatus Dionyſius Areopagita Hercoldum quēdam virum nobilem, graui morbo oppreſſum, per quietē admonuit, vt fratris ſui, ac condiſcipuli Eugenij corpus ex Marcaſio lacu, vbi adhuc iacebat, extractum, honeſto loco collocaret. Sanitati reſtitutus Hercoldus, confeſtim diuina iuſſa exequitur: in ignobili loco nobile corpus invenit, integrum prorſus, atque incorrumptum: in Diolo oppido magnifice condidit, vbi etiam templum hac de cauſa conſecratum eſt. Inde nouo item miraculo in Eccleſiam ſancti Dionyſij ad Lutetiam Pariſiorū poſtea tranſlatum eſt.

*Reſp*. Deſiderium,

*Lectio VI.*

Nam cum populi ex Diolo ſolemni ſuplicationū pompa, Dei placādi cauſa, ad ædem Diui Dionyſij aliquando profecti eſſent, corpuſque Eugenij magna veneratione ſecum detuliſſent; vt eo videlicet deprecatore cōpotes voti à Deo fierent, atque omni re diuina cōfecta, domum redire, & ſacratiſsimas Eugenij reliquias referre vellent, diuinitus factum eſt, vt immobiles conſiſterēt, nullaque vi de loco, vbi erāt, dimo-

dimoveri poſſent. Quo circa pro comperto habitum eſt, Dei eſſe voluntatem, vt tunc quidẽ Eugenij corpus in eo potiſsimum templo honoraretur, vbi Dionyſij corpus iacebat. Itaque Diolenſibus de amiſſo theſauro mœrore affectis, monachi cœnobij ſancti Dionyſij pro Dei munere læti, facile corpus Eugenij mouerunt, & in ſacello parato honorifice collocarunt, vbi clariſsimis celebre ſignis magna finitimorum populorum religione tandiu cultũ eſt, quouſque ſingulari Dei beneficio Eccleſiæ Toletanę, quam ipſe fundauerat, & primus Epiſcopus rexerat, poſt mille quingentos ferme annos redditum eſt.

*Reſp.* Stola iucunditatis.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem,

*Lectio VII.* *Cap.* 21. *d.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

*Ex tract.* 51. *in Ioannem, ſub medium.*

IPſe Dominus Ieſus erat granum mortificandum & multiplicandum: mortificandum infidelitate Iudæorum, multiplicandum fide populorum. Iam vero exhortans ad paſsionis ſuæ ſectanda veſtigia, Qui amat, inquit animam ſuam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi poteſt. Qui amat, perdet: id eſt ſi amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Chriſto noli mortẽ timere pro Chriſto. Item alio modo: Qui amat animã ſuam perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.

*Reſp.* Corona.

*Lectio.* viij.

HOc autem, quod poſterius dixi, magis habere videtur Euangelicus ſenſus. Sequitur enim. Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Ergo, quod ſupradictũ eſt qui amat (ſubintelligitur in hoc mundo) ipſe vtiq; perdet: qui autem odit (vtique in hoc mundo) in vitam æternam ipſe cuſtodit eam. Magna, & mira ſententia quemadmodum ſit homi nis in animam ſuam amor, vt pereat, odium, ne pereat. Si male amaueris, tunc odiſ-

ſi

ſi bene oderis, tunc amaſti. Fœlices, qui oderunt cuſtodiendo, neperdant amando. *Reſp.* Hic eſt vere martyr.

*Lectio.* ix.

SEd vide ne tibi ſuprepat vt te ipſum velis interimere,ſic intelligēdo,quod debes odiſſe in hoc mundo animam tuam. Hic enim quidam maligni, atque peruerſi homines, & in ſe ipſis crudeliores, & ſceleratiores homicidæ,flammis ſe donant, aquis ſe prefocant, præcipitio ſe collidunt,& pereunt. Hoc Chriſtus non docuit. immò etiam diabolo præcipitium ſuggerenti reſpondit: Redi retrò ſatana; ſcriptū eſt,Non tentabis Dominū Deū tuū. Petro antem dixit, ſignificans, qua morte clarificaturus erat Deum: Cum eſſes iunior,cingebas te, & ambulabas, quo volebas: cum autem ſenueris, alter te cinget, & feret, quo tu non vis. Vbi ſatis expreſsit, non à ſe ipſo, ſed ab alio debere occidi,qui veſtigia ſequitur Chriſti.

Te Deum laudamus.

---

DIE XXVI. NOVEMB.

OFFICIVM DESPONSAtionis B. V. M. cum Sancto Ioſeph dup. maius.

*Omnia vt in Natiuitate B. M. V. mutato nomine Natiuitatis in Deſponſationis cū Hom. in Euange. cum eſſet deſponſata vt in feſto Sācti Ioſeph 19. Martii.*

*In ſecundo Nocturno.*

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Ex Homil. ſecunda ſuper miſſus*

*Lectio IV.*

OPortebat à principe mūdi aliquandiu celari diuini Conſilij Sacramentum: non quod Deus, ſi palam opus ſuum facere vellet, impediri poſſe ab illo metueret; ſed quia ipſe,qui non ſolum potenter, ſed etiam ſapienter quęcumque voluit fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis quaſdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem ſeruare conſueuit: ita in hoc quoque tam magnifico opere ſuo,noſtræ videlicet reparationis, non tantum potentiam ſuam, ſed & prudentiā oſtendere voluit.

*Lectio V.*

COnueniens ergo erat, vt ſuauiter quoque omnia, cæleſtia ſcilicet & terrena diſponeret,quatenus & illinc dejiciens inquietum, reliquos

ſiquos inpace firmaret: & hic debellaturus inuidum, nobis prius ſuæ humilitatis & manſuetudinis valde neceſſariũ exemplũ relinqueret: ſicque mirabili fieret moderamine ſapientiæ, vt & ſuis ſuauis, & hoſtibus fortis appareret.

*Lectio VI.*

Quid enim prodeſſet diabolum a Deo vinci, nobis manẽtibus ſuperbis? Neceſſario igitur deſponſata eſt Maria Ioſeph, quando per hoc & à canibus ſanctũ abſconditur, & à ſponſo Virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ prouidetur. Quid ſapiẽtius? quid dignius Diuina prouidentia? Vno tali Conſilio ſecretis cæleſtibus, & admittitur teſtis, & excluditur hoſtis, & integra ſeruatur fama Virginis Matris.

---

## DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO CONCEPtionis B. M. V. Duplex ſecundę claſ. cum Octaua, Officium vt in Breuiario.

*In ſecundis Veſperis in Regnis Hiſpaniæ fit commem. ſanctæ Leocadiæ Virgin. & mart. deinde Feriæ.*

---

## DIE IX. DECEMBRIS.

*Secunda die Infraoctauam Conceptionis beatæ Mariæ.*

*Fit Offic. de S. Leocadia V. & M. vt in Sanctis Hiſpaniæ, cum commem. Octauæ, & Feriæ in Laudibus & in ſecundis Veſperis ac S. Melchiadis P. & M.*

---

## DIE X. DECEMBRIS.

*Tertia die Infraoctauam Conceptionis Beatæ Mariæ.*

*In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurr.*

*In Secundo Nocturno.*

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

*Serm. in cap. 12. Apocalypſ.*

*Lectio IV.*

NOuum fecit Dominus ſuper terram, vt mulier circumdaret virum, nec alium quàm Chriſtum, de quo dicitur: Ecce vir Oriens nomen eius. Nouum quoque fecit in cælo, vt mulier ſole appareret amicta Denique & coronauit eũ, & viciſsim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua. Verùm hoc aliàs. Interim ſane ingredimini magis, & videte Reginam in dia-

diademate, quo coronauit eã Filius ſuus. In capite, inquit, eius corona ſtellarum duodecim.

*Reſp.* Conceptio glorioſę.

*Lectio V.*

DIgnum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſis longè clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quidni coronent ſydera, quam ſol veſtit? Sicut dies verni circumdabant èam flores roſarum, & lilia conuallium. Nimirum læua ſponſi ſub capite eius, & iam dextera illius amplexatur eã. Quis illas æſtimet gemmas? quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum eſt?

*Reſp.* Cum iucunditate.

*Lectio. VI.*

QVid ergo ſydereũ micat in generatione Mariæ? planè quod ex regibus orta, quod ex ſemine Abrahę, quod generoſa ex ſtirpe Dauid. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob ſingulare priuilegium ſanctitatis diuinitus noſcitur eſſe conceſſa: quod longe antè eiſdem patribus cælitus repromiſſa, quod myſticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænuntiata prophetícis. Hanc enim ſacerdotalis virga, dũ ſine radice floruit: hanc Gedeonis vellus, dum in medio ſiccæ areæ maduit: hanc in Ezechielis viſione Orientalis porta, quæ nulli vmquã patuit, præſignabat.

*Reſp.* Conceptio tua.

*In Tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

*Lectio VII.* *Cap.* I.

LIber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abrahã genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia ſancti Hilarij Epiſcopi.

*Commen. in Matth. art.* 2.

NOn refert quis in originis numero atque ordine collocetur, dummodo vniuerſorum familia cœpta eſſe intelligatur ab vna. Itaque cum eiuſdem tribus ſit Ioſeph & Maria, dum profectus eſſe ex Abrahæ genere Ioſeph oſtenditur, profecta quoque docetur & Maria. Hæc enim in lege ratio ſeruata eſt, vt ſi mortuus ſine filiis familiæ princeps eſſet, defuncti vxorem poſterior frater eiuſdem cognationis acciperet, ſuſceptoſque filios in familiam eius, qui mortuus

eſſet

eſſet, referret: maneretque ita in primogenitis ſucceſsionis ordo, cum patres eorum qui poſt ſe nati eſſent, aut nomine haberentur, aut genere.

*Reſp.* Beatam me dicent,

*Lectio VIII.*

SEquens illud eſt, quia diximus ſecundum rerum fidem generationis iſtius ordinẽ nec numero ſibi nec ſucceſsione conſtare, huius quoque rei ratio afferatur. Non enim leuis cauſa eſt, vt aliud in narratione ſit, aliud fuerit in geſtis: & aliud referatur in ſumma, aliud verò teneatur in numero. Namq; ab Abraham vſque ad Dauid quatuordecim generationes numeratæ ſunt: & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis in quibuſdam libris decem & ſeptem deprehenduntur. Sed in hoc non mendacij, aut negligentiæ vitium eſt. Tres enim ratione præteritæ ſunt. Nã Ioras genuit Ochoziam, Ochozias verò genuit Ioã, Ioas deinde Amaſiam, Amaſias autem Oziam & in Matthæo Ioras Oziam genuiſſe ſcribitur, cũ quartus ab eo ſit. Hoc ita, quia ex gentili femina Ioras Ochoziam genuit, ex Achab ſcilicet, qui Iezabel habuit vxorem.



*Lectio IX.*

DEnique per Prophetam non niſi quarta generatione in throno regio Iſraelis quemquam de domo Achab eſſe ſeſſurum dicitur. Purgata igitur labe familiæ gentilis tribus, quæ præteritis iam regulis, in quarto generationum conſequentium ordine numeratur, & vſque ad Mariã generationes quatuordecim eſſe ſcribuntur, cum in numero decem & ſeptem reperiantur, nullus error eſſe poterit ſcientibus nõ eam ſolum eſſe Domino noſtro Ieſu Chriſto originem, quæ cœpit ex Maria: ſed in procreatione corporea natiuitatis æternę ſignificantiam comprehendi.

Te Deum laudamus.

*In Laudib. fit commem. Fer. & ſancti Melchiadis Pa. & M.*

*Veſper. à Capit. de ſancto Damaſo Papa & Confeſ. cum commem. Octau. & Fer.*

## DIE XI. DECEMBRIS.

*Quarto die Infra octauam Conceptionis Beatæ Mariæ.*

*Fit de ſancto Damaſo Papa & Confeſ. cum commem. Octau. & Fer. in Laudib.*

Veſ-

*Veſperæ à Capit. de Octau. cum commem. ſancti Damaſi & Fer.*

---

DIE XII. DECEMBRIS.

*Quinta die Infra octauam Conceptionis Beatæ Mariæ.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura ocurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

Ex libro ſancti Epiphanij Epiſcopi aduerſus hæreſes.

*Lib. 3. hæreſi 78. poſt. medium.*

*Lectio. iiii.*

BEata Mater Dei Maria per Heuam ſignificatur, quæ per ænigma accepit, vt mater viuentium vocetur. Illa etenim mater viuentium vocata eſt, etiam poſtquam audiuit: Terra es, & in terrã reuerteris, poſt transgreſsionem. Et mirũ eſt, quod poſt transgreſsionem hoc magnũ cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem ſenſibilem, ab illa Heua omnis hominũ generatio deducta eſt in terra: hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita eſt, vt viuentem gigneret, & fieret Maria mater viuentium. Per enigma igitur Maria mater viuentium appellata eſt.

*Reſp.* Cõceptio glorioſe.

*Lectio V.*

HEuæ datum eſt operire corpus ſenſibile propter nuditatem ſenſibilem: Marię verò datum eſt à Deo vt pareret nobis Agnum & ouem, & ex gloria ipſius Agni & ouis fieret nobis velut à vellere in ſapiẽtia per virtutẽ ipſius indumentum incorruptibilitatis. Heua etiam mortis cauſa facta eſt hominibus: per ipſam enim mors ingreſſa eſt in mundum: Maria verò cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per hanc Filius Dei aduenit in mundum: & vbi abundauit peccatum, ibi ſuperabundauit & gratia: & vnde illata eſt mors, illinc proceſsit & vita, vt vita pro morte fieret: & qui per mulierem nobis vita factus eſt, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Heua, cum adhuc eſſet virgo per inobediẽtiam tranſgreſſa eſt: e contrario per virginem obedientia gratiæ facta eſt, annuntiato aduentu in carne de cælo & vita æterna.

*Reſp.* Cum iucunditate.

*Lectio VI.*

DE Maria accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod ſcriptum eſt de Eccleſia:

Re-

Relinquet homo patrẽ ſuũ, & Matre ſuã, & adhærebit vxori ſuæ: & erũt duo in carne vna. Sanctus autem Apoſtolus dicit: Myſterium hoc magnũ eſt, ego autẽ dico in Chriſto & Eccleſia. Et vide ſcripturarum accuratam dicendi proprietatem, quòd de Adam quidem dixit, formauit: de Heua verò non formatam eſſe, ſed ædificatam. Accepit enim, inquit, vnam de coſtis eius, & ædificauit ipſi in vxorem. Quo oſtendat, Dominũ quidem de Maria efformaſſe ſibi ipſi corpus; ab ipſa verò coſta ædificatam eſſe Eccleſiam, in eo quod punctum & apertum eſt ipſius latus, & myſteria ſanguinis & aquæ, pretia redẽptionis facta ſũt.

*Reſp.* Conceptio tua.

*In Tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

*Lectio* viij. *Cap.* 1.

Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, Filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia ſancti Ioannis Chryſoſt.

[*Homil. 2. in Matth. poſt init.*

Auditu quidẽ mirabile eſt quod ineffabilis Deus, & qui nec ſermonibus, explicari poteſt, nec cogitationibus comprehendi, Patrique per omnia coęqualis, per Virginis ad nos venit vterũ, & fieri ex muliere dignatus eſt, & habere progenitores Dauid & Abraham: & quid dico, Dauid & Abraham? etiam illas, quod magis ſtupendum eſt, feminas, quas paulò ante Memoraui. Hæc igitur audiens mente conſurge, nihilque humile ſuſpiceris, ſed potiùs propter hoc ipſum maximè mirare, quia cùm verus & dilectus Filius ſit ſempiterni Dei, etiam filius Dauid eſſe dignatus eſt, modo vt te filium faceret Dei: ſervum patrem habere dignatus eſt, vt tibi ſeruo Patrem faceret ipſum Deum.

*Reſp.* Beatam me dicent.

*Lectio.* viij.

Vides ab ipſo ſtatim principio, quam læta ſint hęc nuntia. Quod ſi ambigis de his quæ ad tuum ſpectant honorẽ, ab ijs, quę illius ſũt, etiam tua diſce credere. Quãtum enim conſequi poteſt humana ratio, multo eſt difficilius Deum hominem fieri, quàm hominem Dei filiũ conſecrari. Cùm ergo audieris, quia Filius Dei, filius ſit & Dauid, & Abrahæ, dubitare

re iam deſine, quòd, & tu, qui filius es Adæ, futurus ſis filius Dei. Non enim ſemetipſum ita humiliaſſet, niſi nos eſſet exaltaturus. Natus eſt enim ſecundū carnem, vt tu naſcerere ſpiritu: natus eſt ex muliere, vt tu deſineres filius eſſe mulieris.

*Reſp.* Felix namque es.

*Lectio. ix.*

PRopterea duplex facta generatio eſt, hęc ſcilicet noſtræ ſimilis, illa noſtram eminenter excedens. Quod enim natus ex femina eſt, & nobis competit; quòd verò non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis aut viri, ſed ex Spiritu ſancto, aliam nobis ſublimiorem, futuramque & ſpiritu conſequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex ſimili diuerſitate conſtabant. Nam & baptiſma profectò tale ſuſcepit, quod, haberet quidē ali quid veteris, haberet & noui. Quod enim baptizatus eſt à Propheta, expreſsit vetus; quòd autem deſcendit Spiritus adūmbrauit nouum.

Tedeum laudamus.

*In Laudib. fit commem. Feriæ. Veſp. de Sancta Lucia V. & M. cum commem. Octauæ, & Fer.*

## DIE XIII. DECEMBRIS

*Sexta die Infraoctauam Conceptionis beatæ Mariæ.*

*Fit de Sancta Lucia Virg. & M. cum commem. Octauæ Conceptionis, & Fer. in Laud. & Veſp.*

## DIE XIIII. DECEMBRIS.

*Septima die Infraoctauam Conceptionis Beatæ Mariæ.*

*In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurr. Si autem hac die vel ſequenti occurrat Fer. quarta Quat. Tēp. Lectiones primi Nocturni leguntur de Parabolis Salomonis:* Ego ſapientia. *Vt in feſto ſāctæ Mariæ ad Niues V. Auguſti, & Lectio nona de Homilia Feriæ.*

*In ſecundo Nocturno.*

Ex Epiſtola ſancti Ambroſij Epiſcopi ad Siricium Papam.

*Lectio. IV. Epiſt. 81. al 7.*

DE via peruerſitatis produntur dicere: Virgo concepit, ſed non virgo generauit. Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare, cum ſemper conceptus præcedat, partus ſequatur? Sed ſi doctrinis non creditur Sacerdotū, credatur oraculis Chriſti, credatur

tur monitis Angelorum dicẽtium: Quia non eſt impoſsibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apoſtolorũ, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſeruat. Audiuit Maria vocem Angeli, & quæ antè dixerat: Quomodo fiet iſtud? non de fide generationis interrogãs, reſpondit poſteà: Ecce ancilla Domini, contingat mihi ſecundum verbum tuum.

*Reſp.* Cõceptio glorioſæ.

Ex libro ſancti Hieronymi Presbyteri aduerſus Iouinianum.

*Ex Apolog. ad Pammachiũ pro lib. aduerſus Iouinianũ, in fine.*

*Lectio V.*

CHriſtus virgo, mater virginis noſtri virgo perpetua, mater & virgo. Ieſus enim clauſis ingreſſus eſt oſtijs; & in ſepulchro eius, quod nouum & in petra duriſsima fuerat exciſum, nec antea quis, nec poſtea poſitus eſt. Hortus concluſus, fons ſignatus: de quo fonte ille fluuius manat, iuxta Ioel, qui irrigat torrentem vel funiũ vel ſpinarum: funium, peccatorum, quibus ante alligabamur: ſpinarum, quæ ſuffocãt ſementẽ patris familias. Hęc eſt porta Orientalis, vt ait Ezechiel, ſemper clauſa, & lucida, operiens in ſe, vel ex ſe proferens ſancta ſanctorũ: per quam ſol iuſtitiæ & Pontifex noſter ſecundum ordinem Melchiſedech ingredietur, & egredietur.

*Reſp.* Cum iucunditate.

Ex lib. ſãcti Irenæi Epiſcopi & martyris aduerſus hæreſes.

*Lectio. VI. Lib. cap. 19.*

IN ſua propria veniente Domino, & ſua propria eum baiulante conditione, quæ baiulatur ab ipſo, & recapitulationem eius, quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam quæ in ligno eſt, obedientiã faciente, & ſeductione illa ſoluta, qua ſeducta eſt malè illa, quæ iam viro deſtinata erat virgo Heua, per veritatem euangelizata eſt benè ab Angelo iam ſub viro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum ſermonẽ ſeducta eſt, vt effugeret Deũ, præuaricata verbum eius, ita & hæc per angelicum ſermonem euangelizata eſt, vt portaret Deũ, obediens eius verbo. Et ſicut illa ſeducta eſt, vt effugeret Deũ, ſic hęc ſuaſa eſt obedire Deo, vti virginis Heuæ Virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum adſtrictũ eſt morte genus humanũ per virginem, ſol-

ſoluatur per virginem, æqua lance diſpoſita virginalis ino bedientia, per virginalem obedientiam.

*Reſp.* Conceptio tua.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

*Lectio VII.* *Cap* 1.

LIber generationis Ieſu Chriſti, filij *D*auid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autẽ genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi.

*Vnde ſuprà. paulò poſt.*

CVius verò rei gratia librum ipſum generationis Chriſti vocat, vbi nõ ſola vtique generatio, ſed tota prorſus ipſius myſterij diſpenſatio continetur? quia totius ſcilicèt diſpenſationis caput, radix atque principium omnium nobis in hoc conſiſtit bonorum. Vt enim Moyſes librum cæli appellauit ac terræ, cum certè non de cœlo ſolùm terraque loqueretur ſed de cunctis quæ inter ipſa ſubſiſtunt: ita etiam Euangeliſta ab ipſo omnium fonte & capite bonorum librum vocauit,

*Reſp.* Beatam me dicent.

*Lectio.* viij:

QVa verò de cauſa non eum antè filium Abrahæ, & poſteà filium Dauid nuncupauit? Non, ſicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad ſuperiora conſcendere. Ceterum feciſſet quod fecit & Lucas: nunc autem è contrario facit. Cur ergo commemorauit priorem Dauid? Quia ipſe procul dubio in omnium verſabatur ore, ob inſigne honoris & gloriæ, ob ipſius quoque temporis ſpatia iunctiora: etſi enim vtriq; promiſerat Deus, ſed tamen illud quaſi antiquum reticebatur, hoc verò quaſi nouũ & recens ab omnibus celebrabatur.

*Reſp.* Felix namque es.

*Lectio* ix

IPſi namque Iudæi dicunt: Nonne ex ſemine Dauid, & Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus? Nemo igitur illum filium Abrahæ, ſed omnes filiũ Dauid nominabant: qui etiàm honorabiliores quoſque de ſanctitate Reges, qui poſt Dauid fuiſſe referuntur, ab illo omnes vocabãt. Nec ipſi ſolùm, verum etiam Deus: nam & Ezechiel, & alij Prophetæ dicunt, Dauid ſurrec-

turum eſſe eis atque venturum; non de illo vtique mortuo iam loquentes, ſed deijs, qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur à notiore interim, & celebratiore perſona ſumit exordium; & tum demum ad antiquiorem recurrit parentem.

Te Deum laudamus.

*In Laudib. fit commem. Feriæ.*

*Ad Veſper. Officium Duplex: & omnia dicuntur ſicut in primis Veſper. feſti, cum commem. Fer. & ſancti Euſebij Epiſc. & Mart.*

---

## DIE XV. DECEMBRIS.

*Octaua Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis. Duplex.*

*Si hæc dies Octau. venirit in Dominica iii. Aduentus, Veſp. Sabbati dicuntur de Pſalter, & à Capit. de Dominica, cum commem. diei Octauæ, vt in primis Veſperis feſti, & de ea fit etiam commem. in laudib. & in in ſecundis Veſperis.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*Si autē hac die occurrat Fer. quarta Quatuor Temporum. Lectiones primi Nocturni erunt quæ in die præcedēti aſsignātur.*

*In ſecundo Nocturno.*

De Expoſitione ſancti Gregorij Papæ in libros Regum,

*Lectio. iiij. In 1. Reg.*

FVit vir vnus de Ramathaim Sophim, de Monte Ephraim. Poteſt huius montis nomine beatiſsima ſemper Virgo Maria, Dei genitrix, deſignari. Mons quippè fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros, vſque ad ſolium Deitatis erexit? Huius enim montis præcellentiſsimam dignitatem Iſaias vaticinans, ait: Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiū. Mōs quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit.

*Reſp.* Conceptio glorioſę.

Ex Epiſtola ſancti Leonis Papæ ad Pulcheriam Auguſtā.

*Epiſt. 13. ante medium.*

*Lectio. v.*

SAcramentum reconciliationis noſtræ ante tempora æterna diſpoſitū, nullæ implebant figuræ: quia nōdū Superuenerat Spiritus Sāctus in Virginem, nec virtus Altiſsimi obumbrauerat ei, vt & intra intemerata viſcera, ædificante ſibi ſapientia domum.

num, Verbum caro fieret, & forma Dei ac forma ſerui in vnam conueniente perſonam, Creator temporum naſceretur in tempore, & per quem facta ſunt omnia, ipſe inter omnia gigneretur. Niſi enim nouus homo, factus in ſimilitudinem carnis peccati, noſtram ſuſciperet vetuſtatem; & conſubſtantialis Patri conſubſtantialis eſſe dignaretur & matri, naturamque ſibi noſtram ſolus à peccato liber vniret; ſub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas.

*Reſp.* Cum iucunditate.

De expoſitione ſancti Baſilij Epiſcopi in Iſaiam Prophetã.

*Lectio.* vj. *In cap.* 8. *poſt. init.*

ACceſsi, inquit, ad Prophetiſſam, & in vtero accepit, & peperit filium. Quod Maria Prophetiſſa fuerit, ad quam proximè acceſſit Iſaias per prænotionem ſpiritus, nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata ſpiritu elocuta eſt Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum: & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod ſi animum accommodaueris vniuerſis eius verbis, non vti que contentioſe negaueris, eã fuiſſe Prophetiſſam, quod Domini ſpiritus in eam ſuperuenerit, & virtus Altiſsimi obumbrauerit ei.

*Reſp.* Conceptio tua.

*In tertio Nocturno.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

*Lectio.* vij. *cap.* 1.

LIber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi.

*Vnde ſupra, paulò poſt.*

DVo ſunt, quę pariunt quęſtionem. Vnum, quæ cauſa ſit, vt in generationũ catalogo Virgo ſileatur: alterum verò, qua ratione Ioſephi memoretur, cui certè nihil cum Chriſti generatione eſt commune. Videtur enim & vnum abundare, & alterum deeſſe. Quid ergo dicemus? quòd vtique primũ illud neceſſe fuerit memorari, quemadmodum ex Dauid virgo deſcenderit. Vnde hoc itaque diſcemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominũ: Vade ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen Ioſeph,

ph. ex domo & familia Dauid. Quid vis audire manifeſtius, cũ ex domo & familia Dauid illam virginem eſſe cogno[illegible]s?

*Reſp.* Beatam me dicent.

*Lectio.* viij.

NOn erat mos apud Hebręos generationum catalogum per feminas texere. Vt ergo & morem cuſtodiret, neue in ipſo ſtatim principio videretur antiqua deſtruere, & nobis virginem certius indicaret: parentes eius reticẽns atque maiores, de Ioſeph generatione non tacuit. Siue enim hæc feciſſe in Virgine, nouitatis non effugiſſet inuidiam: ſiue Ioſeph reticuiſſet, non agnoſſemus ex qua tribu Virgo ſubſiſteret. Vt ergo & nos diſcerneremus, quæ eſſet Maria, vel vnde, & conſuetudo legis permaneret immobilis, generationum catalogum vſque ad ſponſum eius perduxit, ac de domo illum Dauid eſſe monſtrauit.

*Reſp.* Felix namque es. 125.

*Lectio.* ix.

HOc enim declarato, illud quoque pariter oſtendit quod ſcilicet inde eſſet, & Virgo, quia vtique nequaquam iuſtus iſte pateretur vxorem ſibi aliunde, quã vnde lex præcipiebat, eligere. Poſſumus verò aliam quoque & altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes Virginis prætermiſſi ſunt. Sed quę ea eſt? Noluit Euangeliſta recẽti adhuc tempore noui illius admirandique partus Iudæis eſſe manifeſtum, quod Chriſtus natus fuiſſet ex Virgine. Neque proprius noſter hic ſermo eſt, ſed à nobis de Patrum atque inſignium virorum traditione ſuſceptus.

Te Deum laudamus.

*In Laudib. fit commem. Feriæ, & ſancti Euſebij Epiſc. & Mart.*

los Santos que tenemos de Reliquia son los siguientes: S.to Julio: S.to Cristancio

# *INDEX FESTORVM, QVÆ IN HOC codice continentur.*

*IANVARIVS.*

14 Sanctiſsimi Nominis Ieſu Dup.

19 Sancti Canuti Mart. Sem. Ad lib.

23 S. Raymundi de Penia Fort Conf. Semid.

28 S. Iuliani Ep. & Conf. Dup. 2. C. cum Oct.

29 S. Franciſci Saleſij Ep. & Conf. Sem.

31 S. Petri Nolaſci Conf. Dup.

*FEBRVARIVS.*

4 S. Andreæ Corſini Ep. & Conf. Dup.

8 S. Ioannis de Matha Conf. Dup.

*MARTIVS.*

17 S. Gertrudis Virg. Sem.

18 S. Gabrielis Archangeli Dup.

9 S. Ioſeph Conf. Dup. 2. C.

Officium Septem Dolorum B. V. M. Dp, maius

*APRILIS.*

S. Vincentij Ferrerij Sem. Ad lib.

7 S. Thuribij Ep. & Cõf. Sem. Lim. & in tota Diœceſi.

*MAIVS.*

4 S. Monicæ Vid. Sem.

5 Coronæ Dñi Dup.

10 S. Antonini Ep. & Cõf. Sem. Ad lib.

15 S. Iſidori Agricolæ Cõf Dup. 2. C. cum Oct.

18 S. Venantij Mart. Sem.

19 S. Petri Cœleſtini P. & Conf. Dup.

25 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. Sem.

30 S. Ferdinandi Regis & Conf. Dup.

*IVLIVS.*

4 S. Eliſabeth Vid. Sem. Ad lib.

8 S. Margaritæ Vid. Sem Ad lib.

12 S. Ioannis Gualberti Abb. Dup.

15 S. Henrici Imperatoris Conf. Sem.

18 Officium Comm. B. M. V. de Monte Carmelo Dup. mai.

20 S. Liberatæ V. M. Dup. 2. C.

*AV-*

*AVGVSTVS.*

Officium propriũ B. M.V. de Mercede Dp. mai.

8 S.Caietani Conf.Sem.

9 SS.Iuſti,& Paſtoris M. Dup.2.C.

23 S.Philippi Benitij Cõf. Sem.

30 S.Roſæ de S. M. Virg. Dup.1.C.cum Oct.

*SEPTEMBER.*

Die Dominica infra oct.Natiuit. B.M. Offiũ de Sanct. Nomine B.M.V.Dup.mai.

28 S.Venceslai Mart.Sem Ad lib.

*OCTOBER.*

1 S.Remigij Ep.& Conf Sem. Ad lib.

Officium proprium SS Roſarij B. M. V. Dup, mai.

10 S. Franciſci Borgiæ Conf.dup.2.C,

13 S.Eduardi Conf. Sem.

17 S.Hedvvigis Vid.Sem. Ad lib.

23 S. Petri Paſchaſij Ep. & M.Dup.

24 S.Raphaelis Arch,Dp.

*NOVEMBRIS.*

In Feſto Patrocinij B. V.M,Dup.mai.

13 S. Didaci de Alcala Conf.Sem.

15 S.EugenijEp.& M.Dp.

26 Officiũ Deſpõſationis B.V.M.Dup.mai.

*DECEMBER.*

8 In Feſto Conceptionis B.M.V.Dup.2.C. cum Oct.

✠

# OFFICIUM
## QUINQUE PLAGARUM
## D. N. JESV-CHRISTI
### FERIA VI. POST CINERES.
### DUPLEX MAJUS.
### AD VESPERAS.

*Antiphon.*
è languores noſtros ipſe tulit,
dolores noſtros ipſe portavit.

*Pſalmus* 105.
Redidi, proptrer quod lo.
cùtus ſum: * ego autem hu-
ıturus ſum nimis.
dixi in excéſſu meo: * Omnis
o mendax.
l retribuam Domino, * pro
ibus quę retribuit mihi?
cem ſalutàris accipiam: * &
en Dòmini invocabo.
a mea Domino reddam co-
omni populo eius: * pretiòſa
nſpectu Domini mors San-
m ejus.
Dòmine quia ego ſervus tuus:
o ſervus tuus, & filius ancillæ
iſti vincula mea: * tibi ſa-
abo hoſtiam laudis, & nomen
ini invocabo.

Vota mea Domino reddam in
conſpectu omnis populi ejus, * in
atriis domus Domini, in medio
tui Ieruſalem.

*Aña.* Verè languores noſtros
ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe
portavit.

*Aña.* Ipſe autem vulneratus eſt
propter iniquitates noſtras, attritus
eſt propter ſcelera noſtra.

*Pſalmus* 116.

AD Dòminum, cûm tribularer,
clamâvi: * & exaudivit me.
Dòmine libera ânimam meam à
labijs iniquis, * & â lingua dolòſa.
Quid detur tibi, aut quid appo-
natur tibi * ad linguam doloſam?
Sagittæ potèntis acûtæ, * cum car-
bonibus deſolatorijs.
Heu mihi, quia incolâtus meus
prolongâtus eſt: habitavi cum ha-
bitantibus Cedar: * multûm inco-
la fuit anima mea. Cum

Soy del Presvitero D.n Casimiro Barguido, valdevillena Vargas

BA687
C36/0